

# EPISTULA LEONINA

## CCLII

HEBDOMADALE  
 PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
 QUOD ĒDITUR  
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
 CUI NOMEN EST  
 LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-  
 CCXXXIX INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR: <http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM

**DUCENTESIMAM QUINQUAGESIMAM SECUNDAM (252)**

# ARGUMENTA

<b>PRAEFATIUNCULA.....</b>	<b>03-04</b>
<b>LUPUS IN FABULA.....</b>	<b>05</b>
<b>CHRONOGRAMMATA HERBERTIANA.....</b>	<b>06-07</b>
<b>GLOSSAE ORBIS PICTI HEXAGLOTTI (VI).....</b>	<b>08-15</b>
<b>CHRONOGRAMMATA RÖSSLERIANA.....</b>	<b>16-17</b>
<b>NARRATIUNCULAE PUERI MALE MÔRATI (XII).....</b>	<b>18-26</b>
<b>CHRONOGRAMMA DEMMINGIANUM.....</b>	<b>27</b>
<b>FABULA GRIMMIANA (111).....</b>	<b>28-33</b>
<b>DE BELLO FRIGIDO <i>scripsit Paulus Kangiser.</i></b>	<b>34-75</b>
<b>ECHUS VOCES &amp; EPISTULAE.....</b>	<b>76-80</b>
<b>CORRIGENDA &amp; SUPPLENDÄ.....</b>	<b>81</b>
<b>LIBRI LEONIS LATINI.....</b>	<b>82-85</b>

## PRAEFATIUNCULA

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS  
AMANTIBUS SAL.PL.DIC.

*Cara Lectrix, Care Lector,*  
*utinam bono animo sis et vaces huic Epistulae*  
*Leoninae perlustrandae, e cuius meditullio*  
*eminet commentarius historicus a Paulo*  
*Kangiser Chiliano Iacobopolitano magnâ cum*  
*scientiâ industriâ subtilitate conscriptus. Quo in*  
*commentario agitur De Bello Frigido; cum alia*  
*multa mihi videantur utilia atque laudabilia*  
*inesse huic commentario prolixo, tum id*  
*praecipuê, quod auctor hoc thema gravissimum*  
*tractat ratione historiae suae patriae, quae certê*  
*plerisque nostrum parum nôta est. Haque invito*  
*te ad Bellum Frigidum Kangiserianum perle-*  
*gendum, ut fias historiae peritior. Nam - ut ait*  
*Marcus Tullius Cicero - »Nescire quid ante*  
*quam natus sis acciderit, id est semper esse*  
*puerum« (Orator 120).*

*Praeterea tibi commendo omni quâ par est*  
*observantiâ »Lupum in fabulâ« et chrono-*  
*grammata Demmingiana Herbertiana Rössleri-*

ana artificiosē confecta et Glossas Orbis Picti Hexaglotti necnon fabulas Ludovici Thomae fratrumque Grimmiorum a me togā donatas. Ceterum rogo, lectione Latinissimā helluans ne praetermittas commercium nostrum epistularum; nam ex eo mirabiliter semper appareat vinculum Latinitatis vivae fraternum sororiumque quo omnes homines inter se coniunguntur studia humaniora amplexi.

Ergo - ut ait Apuleius Madaurensis in Asini Aurei prooemio - »Lector (Lectrixve) intende: laetaberis«. Pancraticē vale et perge mihi favere.

Medullitus te salutat

**Dr. Nicolaus Groß**  
**Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**  
**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,**

**Die Mercurii  
 09. m. Febr. a.2022**



PLAUTUS, Stichus 577 Atque eccum tibi lupum in sermone.

TERENTIUS, Adelphoe 535-539 Em tibi autem! — Quidnamst? — Lups in fabula. — Pater est? — Ipsust.

CICERO, Epistulæ ad Atticum 13,33a.1 De Varrone loquebamur: lups in fabula, venit enim ad me et quidem id temporis ut retinendus esset.

***Ecce similia proverbia recentiora:***

**anglicē:** *Talk of the Devil!* - **danicē:** Når man taler om solen, så skinner den. - **theodiscē:** Wenn man vom Teufel spricht, kommt er gegangen. - **hispanicē:** Hablando del rey de Roma, por la puerta asoma! - **francogallice:** Quand on parle du loup, (on en voit sa queue). - **italianē:** Lupo in favola. - **norvegiceē:** Når man snakker om sola, så skinner'n. - **russicē:** Про серого речь, а серый — навстречь - **sueticē:** När man talar om trollen (så står de i farstun). - **lusitanicē:** Falando no diabo, aparece o rabo.

cfr <https://latinitium.com/lupus-in-fabula-how-to-speak-of-the-devil-in-latin/>

# **CHRONOGRAMMATA HERBERTIANA**

Zum 31. Januar, dem **Fest des heiligen Don Bosco:**

2022\* hILarI, non trIstes estote faCIentes bona, passeres Cantent aLte - CaeLVM non LabetVr, DeVs pro nobIs totIs regnabIt! - Seid fröhlich und nicht traurig, tut Gutes, lasst die Spatzen laut pfeifen - der Himmel wird nicht einfallen, Gott wird für uns alle das Kommando haben- <das Chronogramm ist frei nach dem Grundsatz von Don Bosco - hier im Originalton: Fröhlich sein, Gutes tun und die Spatzen pfeifen lassen - der Himmel wird schon nicht einfallen, und Gott regiert immer noch die Welt!> - Don Bosco 16.8.1815 - 31.1.1888

Zum 2. Februar, dem **Fest der Darstellung des Herrn:**

2022\* MarIA ConserVabat CVnCta In praesentatIone IesV Conferens patIenter In CorDe pIo. – Maria bewahrte alles bei der Darstellung Jesus und bedachte es geduldig im frommen Herzen. – vgl. Lc 2,19.5

Zum 2. Februar, dem **77. Jahrestag der Ermordung von Alfred Delp S.J.**

2022\* LXXVII annIs ante IV non. febrVarII ALfreD DeLp In VIta VerVs saCerDos soCIetatIs IesV nefarIe neCatVs est. – Vor 77 Jahren ist am 2. Februar Alfred Delp, im Leben ein echter Priester der Gesellschaft Jesu, frevelhaft ermordet worden.



Meister der Darbringung, Wien 1420/40, ex coll. Herbert Douteil

### Zum 5. Februar, dem **Fest der heiligen Agatha:**

2022\* Agatha CatanIae SICILIae CarbonIbVs DefLagrantIbVs MartYr ChrIstI orabIt pro nobIs. – Agatha, die in Catania auf Sizilien auf glühenden Kohlen das Martyrium Christi empfing, wird für uns beten. – Agatha, die sich Christus als Jungfrau geweiht hatte und deshalb des Heiratsantrag des Statthalters ablehnte, wurde während der Verfolgung des Decius 249/251 in Catania auf Sizilien auf glühenden Kohlen zu Tode gefoltert.

# GLOSSAE

## ORBIS PICTI HEXAGLOTTI (VI)

### \*adaptāculum spīnae ēlectricae

358, 479

**Steckeradapter – plug adapter – adaptateur de fiche - adaptador de enchufes - adattatore**

**Adaptaculum** est pars additicia aut coniunctiva, quā instrumentum aut pars instrumenti adiungitur ad instrumentum praecipuum aut ad fluentum electricum. **Adaptaculum spīnae electricae** est adaptaculum, quo fiat contactus ad spinam subtilissimam, ut *laminae circuitū impressi* aut *annexiones capulorum* ratione commodā atque pretio parvo probari possint.

### \*adānsōnia, -ae f.

120

**Affenbrotbaum – baobab – baobab – baobab - baobab**

**Adansonia digitata**, quae nomine populari appellatur **baobab** (arabicē *bu-hubub*), refertur in subfamiliam *Bombacoidearum*, in familiam *Malvacearum*. Est una ex arboribus Africae tropicae notissimis et insignissimis. Nomine generis scientifico honoratur *Michael (Michel) Adanson*, inventor huius arboris Francogallus, qui saeculo duodecimeno Ludovicopoli condidit primum *Senegaliae* hortum botanicum. Epitheton specificum, q.e. *digitata*, *spectat ad formam foliorum*, quae constant ex minimē quinis vel maximē novenis foliolis singulis, quae quadamtenus similia sunt digitis manus humanae.

**Notae specificae.** Adansonia stipite insignis est relativē brevi, sed crassissimo. In Africae australis districtu *Letaba* stat adansonia, quae est altitudine 19 metrorum, sed diametro stipitis 10,64 metrorum. In Africā orientali saepe inveniuntur stipites adansoniae, qui habent formam lagoenarum; stipes talis arboris per pauca metra altitudinis abruptē cacuminantur sive acuminantur. - Culmen adansoniae constat e ramis robustis, saepe deformibus, quibus formatur corona dilatissima. Si expers est foliorum, culmen simile est systemati radicum; formā mirā factum est, ut haec arbor in fabulis narretur a diabolo terrae implantata esse inversa. - Stipes saepe est sulcis aut cavernulis instructus. Cortex griseo-brunnus crassitudine est 5 vel maximē 10 centimetrorum. Itaque arbor incendia dumetorum superare potest relativē integra. Cortex exterior est durus, interior fibrosus. Arbores iuveniles primo habent radicem palarem. Arbore adolescente oritur sistema radicum lateralium, quod pertingit usque ad profunditatem 1,8 metrorum. In directionem horizontalem sistema radicum latius pertingit quam stipes arboris in altitudinem. In adansoniis secundum formam stipitis distinguuntur quattuor phases ontogeneticas: 1) propagines tenues, 2) coniformes, 3) lagoeniformes, 4) vetustae. Propagines (aetate 10–15 annorum) primo crescunt sine augmento crassitudinis insigni ad altitudinem 4-6 metrorum, rami sursum eminent angulis acutis. In locis aptis adansoniae iuveniles in initio crescent quotannis 80-100 centimetris. Deinde stipes turgescit ad formam coni similem (aetate 60-70 annorum), arbor assequitur altitudinem 5-15 metrorum, crassitudinem 7 metrorum, et arbor primo floret. Aetate 30-40 annorum rami crescere incipiunt angulo recto a stipite remoti et inde ex hoc tempore insigniter crescunt in longitudinem. Postea arbor altitudinem maximam 10-20 metrorum cum assecuta sit, lentē tantum augetur crassitudo stipitis et spatio 200-30 annorum stipes formam accipit lagoenae. Fieri potest, ut arbor aetate centum annorum assequatur diametrum stipitis quattuor vel quinque metrorum. Denique arbor efficit culmen dilatum et nonnisi lentissimē crescit in latitudinem; saepe inveniuntur stipites cavi et multiplices (aetas: usque ad 800 annos). **Folia.** Adansonia arbor spatiis periodicis foliis privatur. Folia simplicia aut digitata, longē petiolata et disticha in ramis extremis aestate ineunte brevi ante temporis pluvialis initium et plenē evolvuntur intra spatium 4 septimanarum. Nisi pluvia cadit aut si copia pluvia est parva tantum, evolutio folii retardatur. Adansoniae primo exigunt folia, quae sunt simplicis formae ellipticae, sed maturē iam decidunt; in iuvenilibus quoque plantis folia sunt simplicia. Quae sequuntur folia frondea splendidē viridia, quae sunt in minimē quinque, maximē novem partes divisa. Quae habent diametrum circiter 20 centimetrorum; folia aut foliola sunt marginis integri et cuspidata. Petiolus est 16 centimetra longus. **Flores.** Aetas, quā arbor primo inflorescit, pendet a regione distributionis. In Africā occidentali adansonia primo floret aetate 8 vel maximē decem annorum, in Africā orientali et australi, si maturrimē, aetate 16 annorum. Florescere incipit 4 septimanis postquam folium ortum est. Florescentia praecipua fit per 4 septimanas, singulus flos per 24 tantum horas floret. Hoc spatio temporis per 16-20 horas est pollinabilis. *Flores androgyni* dupli perianthio instructi plerumque sunt singuli aut bini, permagni, colore cereo-albo, longis petiolis ex axillis foliorum dependentes. Qui

constant ex quinis petalis, quae paululo unum alterum obtegunt, 4,5-5cm lata et 12 cm longa, et calyce triquinquelobato, leviter piloso. Omnis flos continet 720-1.600 microsporophylla, quae ordinata sunt ratione penicilli rasoii et in basi suâ concreverunt in androphorum, i.e. tubulum angustum, 1,5-4,5 cm longum. *Gynoecium* pluriseptatum et superum, stylo longo et prominenti et stigmate plurilobato instructum. Etiam in hac re adansoniae inter se differunt secundum geographiam. In Africâ orientali et australi petiolus floris est tantummodo 20cm longus, in occidentali Africâ maximê 90 cm. Flores adansoniae, quorum dulciolus odor cadaverinus homini est iniucundus, aperiuntur tempore postmeridiano exeunte et postridie mâne sunt apertissimi. Qui nocte pollinantur a *pteropodidis* (qui et *canes volatice* appellantur), quales sunt *Eidolon helvum* et *Rousettus aegyptiacus*. Etiam *Otolemur crassicaudatus* et *Galago senegalensis* et varii papiliones nocturni flores adansoniae visitantes aliquatenus conferunt ad eos pollinandos.

**Fructus et semina adansoniae.** Pollinatione factâ ad petiolos longos intra spatiu octo mensium oriuntur capsulae ligneae et vellutinosae, non apertiles, multiseminatae, qui pro regione distributionis variè sunt formatae. In adansoniis Angolensibus fructus est formâ longitudinali, in aliis regionibus distributionis naturalis potius formâ ovali vel globatâ. Fructûs e petiolis dependentes fiunt 25-50cm longi, inter maturationem e colore viridi per flavum in griseo-brunnum mutantur. Pulta etiam homini edulis est alba et sicco-farinosa, quia continet vitaminum C, est saporis aciduli, et consistentiâ, quae aliquatenus similis est bombacio solido et fragili. Pulpae imposita sunt semina fructuum obscurè-fusca, quae effracta possunt comedî. Eadem sunt relativè laevia, magnitudine nucum avellanarum, formâ renum, adiposa. Praecipue elephantes et papiones, sed etiam antalopi et animalia mammifera minora hos fructûs devorant ideoque recipiunt semina, quae tractum digestorum pervadentes integra excernuntur et ab avibus ex excrementis rostro recipiuntur. Haec semina manent per complures annos germinabilia. Eorum *diapausa embryonica* diuturna in naturâ non finitur nisi incendiis aut imbribus diuturnis aut digestione elephantorum (*endochoria*). Si non tractantur, seminum germinabilitas est sub 20%. Quae possunt artificialiter fieri germinabilia eo, quod aquâ fervidissimâ infunduntur et per unum ferê diem iacent eidem imposta. Pro condicionibus tempestatis semina hòc modo praettractata possunt germinare post tres saltim septimanas, maximê sex menses. Germinabilitas seminum adansoniae etiam augeri potest, si acido tractantur aut eorundem integumentum limatur. **Aetas.** Magnitudine ingenti formâque irregulari iterum iterumque factum est, ut aetas earum nimis magni aestimaretur. E.g. *David Livingstone* putavit adansoniam quandam, quam prope flumen *Sambesi* invenisset, aetatem habere minimum 4000 annorum. Disquisitionibus prolixis in Keniâ, Maliâ, Sudaniâ, Tansaniâ, Sambiâ factis apparuit perpaucas tantum adansoniae habere plures quam 400 annos. A.2018 investigatores rettulerunt novem ex 13 adansoniis vetustissimis intra spatiu 12 annorum partim vel totas deperiisse. Causam esse ignotam; fortasse mutationes climatis habere quendam effectum ad has arbores. Secundum has disquisitiones adansoniam totius mundi omnium vetustissimam, in Simbabwe natam, cui nomen sit *Panke*, post plus duo milia quingenta annorum (aetas mensurata et computata est methodo radiocarbonicâ) spatio annorum 2010-2011 mortua est. Adansoniam autem vetustissimam omnium adhuc vivacem vivere in Simbabwe et appellari *Humani Bedford Old baobab*; eandem computari aetatem habere mille octingentorum (1.800) annorum. **Usus.** Gens hominum quaedam *deserti Kalahariani* indigena, cui nomen est *San*, aquam adansoniae directè ex stipite forato derivat, ut sitim suam expleat. - Etiam pulpa, semina, cortex, folia, propagines adansoniae multimodis ab homine adhibentur; ceterum in cavernis huius arboris conduntur frumentum et aqua. Similiter ut prius in nostris vicis tiliae atque quercûs hominibus praebuerunt locos congregandi umbrosos, in terris Africanis adansoniae magnam habent vim socialem. Prope tales arbores mediis in vicis sitas saepe fiunt mercatûs et consultationes aliisque eventûs sociales. In Africanorum medicinâ populari ferê omnis pars adansoniae adhibetur. E.g. medici fructibus adansoniae utuntur ad infectiones et morbos variolarum et morbillorum sanandos. Ex foliis medicamina conficiuntur ad dysenteriam et diarrhoen et colicas et inflammations stomachi intestinorumque curandas. Seminibus adhibitis impugnantur morbi cordis et dentium et iecoris et paludosis (*malaria*). Methodis biochemicalis in pericarpio fructuum adansoniae inventa sunt *proanthocyanidina*. Sed nondum disquisitionibus clinicis exactè demonstratum est, quantum efficiant tales substantiae phytopharmacologicae. Pulta et semina adansoniae abundant proteinis et carbohydratebus et oleo necnon continent mineralia quae sunt calcium, kalium, magnesium. Seminibus fibrisque remotis pulpa siccatur et aut non tractata comeduntur aut immiscetur lacti pultibusve. Ex seminibus adiposis exprimendo paritur oleum, quod abundat *acido palmitinico* et est magna stabilitatis oxydativae; si pulverissatum est, adhiberi potest ad sorbitiones incrassandas. Semina etiam tosta comeduntur aut ad cibos condendos adhibentur. Praeterea folia adansoniae tamquam spinacea parata aut recentia comeduntur aut siccantur aut pulverissantur. 100 gramma folii adansoniae habent valorem energeticum 289kJ (69kcal) et continent cum cetera tum 3,8 gramma proteini et 50 milligramma *acidi ascorbinici*. In Nigeriâ folia adansoniae appellantur *kuka*. Sorbitio his foliis cocta est cibus typicè nigerianus. Fructûs utiles etiam sunt ad potionis fabricandas: Pulta fermentari potest, ut oriatur potio cervesiae similis. In Sudaniâ ex pulpâ adansoniae aquâ dilutâ conficitur potio, quae appellatur *Tabaldi*. Praeterea haec arbor Africanis praebet materias, quibus fabriantur vestes, tectorum tegimenta, ornamenta collaria, restes, funes, retia, mattae, petasi, fercula, cistae, corbes, charta. Ad haec omnia fabricanda adhibentur fibrae libri interni, quae sunt durabiles atque robustae. Quae pariuntur arboribus decorticandis. Similiter ac quercus suber etiam adansoniae corticem ablatum possunt regenerare, quo liceat eandem arborem compluries decorticare. E radicibus conficitur pigmentum rubrum; pollen si cum aquâ commiscetur, fit gluten. E cinere variarum partium arboris, quae contineant multum potassii, fabricatur *sapo*. Adansoniae, quae habent stipitem cavum, feruntur interdum adhiberi aut carceres aut latrinae; in Africâ occidentali adansoniae cavae feruntur etiam adhiberi ad homines sepeliendos. At adansonia non adhibetur a saltuariis ratione oeconomicâ, nam lignum eius leve elasticitatis causâ ascis non tractatur

nisi aegrē atque difficile necnon concisum celerrimē putrescit. - **Mythologia.** Cum adansoniam sit aspectu mirabili, variae fabulae de eā narrantur mirabiles. Africani solent narrare diabolum olim adansoniam humo eripuisse et deinde inversam implantasse, ut radices nunc in aëra eminerent. Altera fabula fert hanc arborem modo natam voluisse pulchriorem fieri quam ceteras arbores omnes. Cum autem hoc eidem non contigisset, arborem caput suum humo infixisse (num pudore affecta est?), ut radices in caelum eminerent. Tertia fabula adansoniana spectat ad mythologiam creationis mundi: Mundo exoriens *hyaena*, cum foeditatem sui conspiceret aquae superficie redditam, irā incensa est vehementissimā. Itaque adansoniam exstirpatam proiecit versus caelum, ut creatorem sui percuteret, qui sibi tantopere malefecisset. At arbor projecta a scopo aberravit, ad terram recedit, ibique inversa mansit humo infixus; inde ex illo tempore adansoniam crescit radicibus sursum versis. Praeterea in variis fabulis mythisve africanis adansoniam narratur esse sedes deorum spirituumque. In litteris Africae occidentalibus modernis adansoniam est symbolum vitae Africanorum more tradito degendae necnon naturae intactae. Loci, quibus crescent adansoniae quae sanctae appellantur, saepe considerantur symbola horti Eden biblii. Etiam in litteras Europae pueriles arbor adansoniae introducta est. Nam in fabellā *Reguli ab Antonio de Saint-Exupéry* scriptā (*Le Petit Prince*) persona principalis sollicitatur, ne adansoniae luxuriando asteroides suum obtegant radicibusque intricatis diffingant: „*Adansoniae incipiunt parvae esse antequam grandescunt*“. - Etiam in modernis carminibus lyricis interdum adansoniam est res tractanda, e.g. apud *Paulum Celan. Iohannes Magnus Enzensberger* cum adansoniam comparavit *rete neuronale*. **O quam mirabilis multiplicitatis est Africæ arbor illustrissima!**

## adaptatiō chrōmatica

593

**Weißabgleich – white balance – balance des blanca – balance de blancos – bilanciamento del blanco**

**Adaptatione chromaticā** aut pellicula chemica aut assula digitalis photocamerae aut camerae cinematographicae in loco imaginis recipienda adaptatur ad temperaturam lucis colorariam. Etiam oculus humanus tali est facultate, quae appellatur *adaptatio chromatica*.

## additiō, -ōnis f.

836,837

**Addition – addition – aleación - addizione**

## adeps, adipis m./f.

284

**Fett – fat – graisse – grasa – grasso**

ThLL 1,630,6 **adeps** vel **adips**, -ipis m. et f. ... (lin. 29) *I proprie: 1 de animalibus. adipis natura:* PLIN.nat.11,213 *omnibus animalibus adipis* sine sensu est quia nec arterias habet nec venas...

**Adeps** appellatur substantia, quae temperaturā conclave est solida; si liquida est, appellatur **oleum (adiposum)**. Adipes notissimi sunt mixturae variorum triglyceridorum, quae e bestiis accipiuntur. *Triglyceridum* autem est glycerinum (genus alcoholis), cui adjunctae sunt terna acida adiposa. Adipes sunt substantiae naturales, quae referuntur ad *lipida* et solvi possunt in lipophilis subsidiis solvendi organicis, qualia sunt *aether petrolei, aether, benzoleum*. Adeps cum sit densitate energiae 37kJ(9kcal/g), hominibus, bestiis, nonnullisque plantis est conditorium energiae omnium praestantissimum. In plantis adipes praecipue inveniuntur in seminibus atque germinibus, in bestiis in telā cellularum adiposā. Adipes oleaque adiposa adhibentur ad homines nutriendos (adipes oleave ciborum). Adipes et olea referuntur in numerum nutrimentorum hominis fundamentalium. In corpore humano usūs adipum sunt ii qui sequuntur: 1. Adipes afferunt energiam, 2. solvunt substancialias, quae non solvuntur nisi adipibus, velut vitamina nonnulla, 3. tutantur organa interna et systema nervosum, 4. sunt partes membranarum cellularium.

**Digestio adipum in corpore humano quomodo fiat. Absorptio.** In stomacho adipes nutrimenti allati motu peristaltico emulguntur in *chymum* (i.e. pultem ciborum). *Lipasa* sunt fermenta, quae adipes diffindunt. Simil lipaso stomachi iam 15% adipum diffinduntur. - In intestino motibus peristalticis adipes perguntur *emulgeri*. *Bili*, quae in *iecore* fabricatur et in *felle* conditur, formantur guttulae adipum minimae. Hac autem configuratione lipasa optimē operantur, praeterea ita superficies, quam lipasum aggreditur, multo amplificatur. Lipasum pancreatis operatur *colipaso* praesente (quae trypsinis efficientibus exortum est ex *pro-colipaso*) et *ionibus calcii*. Lipasis operantibus triglycerida gradatim hydrolyticē seiunguntur una vel duae moleculae acidi adiposi, ut denique duae moleculae acidi adiposi liberae et 2-monoacylglyceridum orientur. Alterum lipasum magni momenti in intestino tenui operans est lipasum sale biliarū activatum, quo etiam triglycerida, praesertim *esteres cholesterini* diffindit. - Ex moleculis acidorum adiposorum et glyceridīs monoacylicis in lumine intestinalis *micellae* oriuntur, quae accumulantur ad membranam *microvillorum*, ex quā substantiae per membranam *phospholipidicam* recipiuntur in *enterocytis*, i.e. cellulas intestinalis. Vitamina adipe solubilia, velut vitamina A, D, E, K, absorberi non possunt nisi hōc modo, i.e. unā cum adipibus. Si propter *insufficientiam pancreatis exocrinam* deest lipasum pancreatis, efficitur digestio mala, quam saepe comitatur *steatorrhoea*, i.e. profluvium ventris adiposum, lucidum, foetidum, voluminosum. Homines *steatorrhœā* affecti amissione ponderis corporalis chronicā laborant, postea inveniri potest *hypovitaminosis*, i.e. penuria vitaminorum adipe

solubilium. **Transportatio.** In cellulis intestinorum postea fit *re-esterificatio*, i.e. libera acida adiposa iterum monoglyceridis aquâ seiunctâ esterificantur in triglycerida. Substantiae hydrophobae in sanguine, quod est medium aquosum, non ulti possunt transportari. Itaque ex triglyceridis exortis, quae sunt *cholesterinum*, *esteres cholesterini*, *phospholipida*, *apolipoproteinum*, vitamina adipe solubilia, primo *chylomicrona* nascentia fabricantur, quae deinde in vesiculas *apparatus Golgiani* recipiuntur et *exocytosi* excernuntur in sistema lymphaticum. Circiter 80% chylomicronum ita per sistema lymphaticum pervenient in sanguinem, ex quo triglycerida tandem pervenient ad locos destinatos qui sequuntur: - 1. in iecur, ubi conduntur, pertractantur, oxydantur. - 2. in *myocita* (fibras musculares) e.al. organa, ubi adipes oxydantur ad energiam parientam. Musculi praeterea sunt apti ad quandam copiam triglyceridorum condendam. - 3. in cellulas adiposas, ubi conduntur.

## **adeps furnarius**

284

### **Backfett – shortening – saindoux – grasa para cocinar – grasso alimentare**

2. cfr ThLL 6.1,1621, 65 **furnarius** (fornarius), -ī m. et **furnaria**, -ae f. a furnus. ... (lin.69) **A** masc. *is qui panem furno coquit, pistor:* CORP.VIII 24678 ... (lin.7) **B** fem.: -a, -ae. 1 i.q. *pistrix:* CORP.IX 4721 Fausta -a.

**Adeps furnarius** est notio superior *adipum cibariorum*, qui adhibentur ad cibos furno coquendos. In eorum numerum referenda sunt portiones adiposae pastarum et massarum, farturarum et impositionum (e.g. butyri in placentâ conspersâ et in tortâ crami butyracei), adeps tractorius in pastâ foliaceâ et levatoriâ, sed etiam adeps ebullitoria in crustulis adiposis et adeps separatorius, qui adhibetur, si furno coquitur in formellis et super laminas. Adipes furnarii multum valent ad mixtionem ingredientium quam optimam, ad voluminis augmentum, ad crustarum structuram, ad poros desideratos necnon ad crustulorum perfectorum durabilitatem. Praeterea varii processûs panicia conficiendi requirunt adipis furnarii magnam adaptabilitatem.

## **adiaculatiō, -ōnis f.**

949

### **Passen – passing – passe – pase - passaggio**

passen = jm. zuspielen = alci. adiaculari; Luciani Samosatensis philosophi opera omnia quae extant, Lutetiae Parisiorum 1616, p.269: "Quid autem? Iaculari an adiaculari? Adiaculari."

**Adiaculatio** fit eo quod complures *pilarii* certâ vicissitudine inter se unus alteri res adicit, e.g. pilas aut clavas.

## **adiūtor \*acūsticus**

543

### **Tonassistent – boom operator – perchiste – operador de jirafa - giraffista**

2. Christian Helfer, Lexicon Auxiliare, 3.ed., Saarbrücken 1991, p.71: akustisch: \*\*acūsticus,-a,-um [G. SCHOTT 1664,668: **acousticus**]. - cfr Joh. Christ. Sturmius, Collegii experimentalis sive curiosi Pars secunda, in qua porro praesentis aevi experimenta et inventa physico-mathematica plurimia, speciatim stentorophonicarum sive **acusticarum**... Norimberga 1685.

**Adiutor acusticus** est membrum manipuli cinematographicci. Adiutoris acustici est adiuvarare *ingeniarium acustum* *signale* recipientem *toni* quam directissimum. Hoc saepe fit microphono *harundine tonorum* affixo, quod ori histrionis attinetur quam proximè. At cavendum est, ne harundo tonorum neve eiusdem umbra in imaginis sectione appareat.

## **adiūtor choragi**

543

### **Requisiteurassistant - assistant property man – assistant-accessoiriste - ayudante del atrecista - aiuto attrezzista**

In cinematographiâ germanophonicâ supellectiles et utensilia, quae necessaria sunt ad domum aliaque circumiecta instruenda, comparantur atque curantur a *chorago*. Qui solet adiuvari ab autoraedario variisque aliis gerulifigulis, qui supellectiles portant, involvunt, componunt, distribuunt eqs. Si agitur de cinemate, quod conficitur multis et magnis cum subtilitatibus technicis, solent complures adiutores choragi operari, qui laborem inter se dividunt secundum themata: unus curat arma, alter carpenta atque equos, tertius utensilia minora.

## **adiūtor coquinarius**

291

### **Küchenhilfe – back waiter – commis débarasseur – pinche de cocina – aiutante**

Adiutores coquinarii in deversoriis, cauponis, popinis, coquinis magnis, mensis academicis, autoplaustris cibiferis coquos adiuvant labores simpliciores exanclantes.

## **adiūtor exercitōris**

957

***Trainerassistent – assistant coach – entraîneur adjoint – entrenador adjunto - viceallenatore***

**Adiutor exercitoris** est alter exercitor alicuius manipuli athletici, qui principem exercitorem responsalem adiuvat laborantem. Saepe adiutor exercitoris est iuvenis adhuc imperitus, qui erudiendus est, ut fiat ipse exercitor princeps. Saepe fit, ut exercitore principe propter successum malum a munere suspenso adiutor exercitoris debet (plerumque tantummodo per transitum) responsalitatem suscipere, usque dum inveniatur successor exercitoris dimissi.

**adiūtor pūgilis**

990

***Sekundant – second – soigneur – ayudante - secondo***

**Adiutor pugilis** eum curat in pausis. Quod attinet ad pugillationem ipsam, adiutor pugilem adhortatur ad pugnandum et consolatur, si pugna parum feliciter succedit.

**aditus, -ūs m.**

786

***Zugang – access gallery – galerie de visite – galeria de acceso – galleria di ispezione***

i.q. accessus. In imagine appetet aditus ad oecum machinarium officinae hydroelectricae.

**adiūmenta eundi**

916

***Gehhilfen - walking aids – aide à la marche – auxiliarea ortopédicos para caminar – supporti per camminare***

**Adiumenta eundi** est nomen generale omnium utensilium, quae adhibentur ad articulationes deonerandas et mobilitatem augendam. In Germaniâ adiumenta eundi sunt ea, quae ab Assecuratione Aegrotorum Legali (GKV) comprobantur ad rehabilitationem. Pro variis gradibus impeditiois eundi sunt varia adiumenta. - Extra provinciam medicinæ adhibentur adiumenta eundi in aliquo genere eundi (e.g. in ambulatione vel migratione), quod utile est ad recreationem generalem, ad exercitia disportiva facienda, ad signalia socialia êdenda.

**adiūmenta mōbilitatis**

917

***Mobilitätshilfen – mobility aids – aides au déplacement – ayudas para desplazarse – ausili per il deambulamento***

**Adiumenta mobilitatis** sunt e.g. parva autocineta electrica aut sellae subrotatae, quibus vehuntur homines manci.

**adiūnctiō \*baioniāna**

598

***Bajonettanschluss – bayonet mount – monture baïonette – montura de bayoneta – attacco a baionetta***

**Adiunctio baioniāna** est coniunctio duarum partium cylindricarum mechanica in axi longitudinali, quae celeriter fit et dissolvitur. Partes inter se coniunguntur eo quod una alteri inseritur et circumvertitur directione adversâ. Tales adiunctiones iam inveniuntur in Graecâ lampade quâdam aeneâ saec.7. vel 6. a.Chr.n., in aureo anulo celtico saeculi 5.a.Chr.n. et saepius in lagunculis myri classicae aetatis graecae et hellenismi. - Adiectivum q.e. \*baioniānus spectat ad nomen francogallicae urbis Bayonne. *Cuspis \*baioniāna*, i.e. acutum telum pulsatorium, quod appellatur francogallicê bayonet, tali adiunctione cum fistulâ sclopeti coniungebatur. - Etiam instrumentum photographicum modernum continet talem adiunctionem: quo obiectiva photographo adiungi et facile ab eodem seiungi possunt.

**adiūnctio manubriālis**

699

***Vorbau – handlebar stem – potence – vástago – attacco del manubrio***

2. cfr nomen zoologicum: hypogastrura **manubrialis**]

**adiūtor, -ōris m.**

973

***Hilfestellung – spotter – pareur - ayudante - osservatore*****adiūtor camerāriī prīmus**

542

**erster Kamera-Assistent – first assistant camera operator – premier assistant-cadreur – primer ayudante de cámara - primo assistente cameraman**

### **adiūtor camerārī secundus**

542

**zweiter Kamera-Assistent – second assistant camera operator – second assistant-cadreur – segundo ayudante de cámara - primo assistente cameraman**

### **adiūtor dīrēctōris programmatis**

604

**Assistent des Programmdirektors – assistant programme director – adjoint à la réalisation – ayudante del director – assistente alla regia**

### **adiūtor scaenothetae**

543

**Regieassistent – assistant director – assistant-realisateur – ayudante del director – aiuto regista**

### **adminicula, -ōrum n.pl.**

410

**Rankgitter - fan trellis – treillis – enrejado encañado - spalliera**

### **adminiculum, -ī n.**

410

**Stab – stake – tuteur – rodrigón - tutore**

### **adminiculum arboris**

418

**Baumstütze – stake – tuteur – rodrigón - tutore**

### **administratiō, -ōnis f.**

522,869,958

**Verwaltung – administration – administration – administración - amministrazione**

### **adventus anabathrī \*scrīdātōrum**

1036

**Skiliftankunft – ski lift arrival – arrivée des remontées mécaniques – llegada del telesqui – arrivo degli impianti di risalita**

### **aedicula, -ae f.**

510

**Nische – niche – niche – nicho - nicchia**

PETRON. Sat.29 fin. Grande armarium in angulo vidi, in cuius aedicula erant Lares argentei positi Venerisque signum marmoreum. Aedicula est parva aedium pars, cella, cubiculum. Ponitur etiam pro parva aede sacra, sacello.

### **aedicula portae valvātae**

719

**Stemmtornische – mitre gate recess – chambre de vantail – busco – nicchia per la saracinesca**

### **aedicula sēcūritatis**

663

**Notrufnische – safety niche – niche de securite – nicho de seguridad – nicchia di sicurezza**

### **aedicula ūrandī**

872

**Mihrab – mihrab – mihrab – mihrab - mihrab**

syn. *tholus* \*mihrābī

Aedicula orandi invenitur in mesquitis; eadem indicatur directio orandi (*qibla*). Nomen arabicum est محراب, DMG *mihrāb* pl. محراب, DMG *mahārīb*.

### **aedificia fōdīnae exteriōra**

772

*Übertragelanlage – pithead – carreau de mine – planta exterior de una mina – esterno della miniera*

### **aedificium administratīvum**

794

*Verwaltungsgebäude – administrative building – bâtiment administratif – edificio de la administración edificio dei servizi*

2. QUINT.2,18,5

### **aedificium artis decōrātīvae**

511

*Art-deco-Gebäude – art deco building – édifice art déco – edificio art deco – edificio Art Déco*

### **aedificium castrēnse**

505

*Kaserne – barrack buildings – casernement – caserna – caserma*

### **aedificium \*graphēale**

718,844,847

*Bürogebäude – office building – edifice a bureaux, bâtiment administratif – edificio de oficinas – edificio per uffici*

2. cfr Eichenseer, Latinitas viva, Pars lexicalis, Saarbrücken 1981, p.91, s.v. Bürostuhl: sella \*graphealis

### **aedificium habitāculōrum**

845

*Wohnblock – apartment building – immeuble résidentiel – bloque de apartamentos - condominio*

### **aedificium officīnae nucleāris**

798

*Kraftwerksgebäude – service building – bâtiment des services – zona de servicio – locali per la manutenzione*

### **aedificium pūblicum**

52

*öffentliches Gebäude – public building – édifice public – edificio público – edificio pubblico*

### **aedificium reāctōriāle**

797,799

*Reaktorgebäude – reactor building – bâtiment du réacteur – edificio del reactor – edificio del reattore*

### **aedificium religiōsum**

845

*religiöses Bauwerk – religious building – édifice religieux – edificio religioso – edificio religioso*

### **aedificium trochleārium**

773

*Fördergebäude – winder house – salle du treuil – sala del montacargas - sala degli argani*

### **aedificium \*turbīnārum**

796

**Turbinengebäude – turbine building – bâtiment de la turbine – edificio de la turbina – edificio delle turbine**

**GLOSSARUM  
ORBIS PICTI HEXAGLOTTI  
PARTEM SEXTAM  
SCRIPSIT  
LEO LATINUS**

# CHRONOGRAMMATA RÖSSLERIANA

S A N C T V S   I O A N N E S   B O S C O

N O B I L I S   S A C E R D O S   I T A L I C V S

F V N D A T O R   O R D I N I S

M M X X I I

## Marianne Moore

\* 15. November 1887 in Kirkwood, Missouri

† 5. Februar 1972 in New York



M A R I A N N E   M O O R E  
P O E T R I A   E G R E G I A  
Q V I N Q V A G I N T A   A N N I S   A N T E  
E   V I T A   E G R E S S A

M M X X I I

Die hervorragende Dichterin  
Marianne Moore  
starb vor fünfzig Jahren.

# NARRATIUNCULAE

## PUERI

## MALE MÓRATI

*(Lausbubengeschichten)*

*Quas scripsit*

**LUDOVICUS THOMA**

*in Latinum convertit*

**NICOLAUS GROSS**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**PARS DUODECIMA: Melioratio** (*Besserung*)

Pars I: De Gretulâ Vollbeck EL 144, 4-12; pars II: De primo amore meo EL 145, 7-14; Pars III: Magister Puellulus EL 155, 4-16; Pars IV: Feriis quae facta sint EL 164, 14-23; Pars V: Sponsalia EL 169, 13-19; Pars VI: Nuptiae 173,12-20; PARS VII: De Periurio EL 205, 15-22; PARS VIII: De avunculo Francisco EL 218, 7-10; PARS IX: De infantulo EL 220, 13-18; PARS X: Bona proposita EL 226, 07-15. PARS XI: De puerō honesto EL 242, 22-31



## **LUDWIG THOMA**

**(1867-1921)**

Circa a.1909 pinxit Karl Klimsch.

*Ludovicum iuvenem cum pertaedeat se iterum iterumque submittere licentiae magistrorum ceterorumque hominum, qui putantur esse auctoritates, audax consilium capit unum post alterum, quo quam bellissimē calcitret contra stimulum civium abderitanorum.*

*Ludovicus Thoma his in narratiunculis satiricis, quae specie tantum sunt pueriles, mirifico ingenio comico stupendâque subtilitate mores describendi sistema scholae vilelmianum et clericalismum integumentis dissimulationis fallacissimae evolvit denudatque.*

*Eius »Narratiunculis pueri male mōrati« lepidissimis animi lectorum usque hodie non desinunt mirabiliter delectari.*



## PARS DUODECIMA (XII)

### Melioratio<sup>1</sup>

Cum feriis paschalibus domum iter facerem, matertera Stephania dixit: »Fortasse visitabimus matrem tuam. Quae nos urgentius invitavit, quam ut liceat recusando eam laedere«.

Avunculus autem Iosephulus dixit se nescire, num venire possent, quia tot laboribus obrutus esset, sed procul dubio sibi non licere hanc visitationem differre. Ex eo quaesivi, num mallet aestate venire, nunc adhuc valdē frigêre, et neminem certo scire, num subito ingruerent nives vehementes. Tum matertera: »Non licet« inquit, »denuo hanc visitationem differre, alioquin mater tua hoc aegrê feret, quia toties iam promisimus nos venturos esse«. At ego iam bene scio, quare illi venire velint; quia nos diebus paschalibus habemus carnes fumigatas et ova et placentam cafeariam, et avunculus Iosephulus devorare solet copias horrendas. Quod domi ei minus licet, quia matertera Stephania statim dicit, nonne consulat filio nutriendo.

Illi me comitati sunt ad laophorum cursuale euntem, et avunculus Iosephulus benignê mihi affirmavit se, si veniret, mihi affore, quod mitigare sciret tumultum testimonio meo pessimo effectum.

<sup>1</sup> cfr ThLL 08,617,62sqq.: **meliōrātio**, -ōnis f. *a meliorare* GLOSS.II 307,11 ἐπιβελτίωσις, -ο. 1 *de actu meliorandi, i.q. refectione in melius, correctio, emendatio: a rerum variarum... b hominum rerumve humanarum...naturae, condicionum...morum:* PHILO quaest. in gen. 4,172 p.219R. pro -e morum. 4,198 p.237 tuis -bus atque successibus. GREG.M.epist.7,4 p.445,9 subditorum (7,14 p.457,19,21). in euang.38,13 p.1290A vitae. moral. 24,19 p.297B, 28 pr.p.445 D. 32,43 p.661A. past.3,17 p.79B syn. profectum. 3,25 p.98A ne...viam sibi subsequentis -is abscidant...

Avunculus rectē dixit testimonium esse terribile, sed ego inveniam excusatiunculam. Non egeo avunculo ad talem excogitandam.

Stomachatus sum, quod illi me comitati sunt, quia sigara<sup>1</sup> emere volui ad iter domum faciendum, sed propter illos hoc non potui. At Fridericus, qui in laophoro fuit, mihi dixit se habere sat multa sigara, et nisi ea sufficerent, nos posse sigara emere in statione *Mühldorpiensi*.

In laophoro<sup>2</sup> nobis non licuit fumare, quia adfuit *Zirngiebel* superior iudex municipalis cum Henrico suo filio, et scivimus eum esse amicum rectoris eique omnia proditurum esse.

Henricus statim ei dixit, qui homines nos essemus. Hoc ei in aurem insusurravit, et ego audivi eum meo nomine allato dixisse: »Iste est nostrae classis discipulus ultimus, qui ipsâ in disciplinâ religionis accepit notam quartam.«

Tum iudex municipalis superior me aspexit, quasi effugissem e therotrophio<sup>3</sup>; et subito mihi Fridericoque dixit:

»Heus pueri, velim detis mihi testimonia vestra, ut eadem comparem cum testimonio Henrici.«

Ego dixi me idem habere in vidulo, qui positus esset in tecto laophori. Tum ille risit et dixit se iam nosse istam excusatiunculam. Discipulos bona testimonia semper tenere in sacculo parata. Tum omnes homines in laophoro riserunt. At ego et Fridericus nos stomachati sumus vehementissimē, usque dum *Mühldorpii* escendimus.

Fridericus autem dixit se paenitere, quod non dixisset a nemine testimonium esse offerendum nisi a sociis fabrilibus, idque biocolytae<sup>4</sup>. At nimis sêro hoc ei in mentem vînit. In statione ferriviariâ bibimus cervesiam, ut exhilararemur, et tramen ascendimus.

A conductore postulavimus, ut nos duceret in compartmentum fumatorium; vînimus in tale, ubi iam homines infuerunt. Vir quidam

<sup>1</sup> \***sigarum**, -ī n. orig. *Zigarre*. cfr Angelo Perugini, Dizionario Italiano-Latino. 2.ed. Libreria Editrice Vaticana 1976, p.1929.

<sup>2</sup> \***laophorum**, -ī n. orig. *Omnibus*. cfr Christian Helfer, Lexicon Auxiliare, 3.ed., Saarbrücken 1991, p.101, s.v. Autobus. (Groß, Vox Latina 1976,p.223, sec. neogr.).

<sup>3</sup> **thērotrophium**, -ī n. orig. *Menagerie*. VARRO rust.3,13,2.

<sup>4</sup> **biocolyta**, ae m. orig. *Gendarm*. cfr ThLL 02,1998,75-78: **biocolyta**, ae m. [gr. βιοκωλύτης. Th.] GLOSS.V527,41  
vio colita qui violentias prohibet (582,47). NOVELL.Iust.29,5 biocolytas, id est violentiarum inhibidores 134,1  
aut biocolytas aut latronum expulsores. *Ihm*. ---

cfr Georges, Ausführliches Lateinisch-Deutsches Handwörterbuch, ed.14, tom.I, Hannover a.1976, col.832:  
„**biocolyta**, ae, m. (βιοκωλυτής (*sic!*)), ein Gewaltwehrer, eine Art **Gendarmen**, Novell.Iust.29,5 u. 134,1.“

crassus ad fenestram sedebat, et eius catenae horologii affixus erat magnus equus argenteus. Cum is tussiebat, equus ventri suo impositus saltabat strepitumque efficiebat. In altero subsellio sedebat vir parvus perspicillo instructus, qui crassum semper appellabat nomine *Domini Consiliarii Provincialis*, et crassum eum appellabat *Dominum Magistrum*. Sed nos iam animadvertisimus eum esse magistrum, quia capilli eius non erant resecti.

Tramine profecto Fridericus sigarum accendit fumumque versus lacunar flavit, egoque etiam sic feci.

Mulier aliqua iuxta me sedebat, quae a me aversa se amovit meque aspectavit, et in altero compartimento homines surrexerunt et ad nos spectaverunt oculis torpidis. Nos autem summē gavisi sumus.

Tum vir crassus: »Sophos!« inquit, »Babae! Catulastri adolescent!« et magister dixit, se non mirari de scandalis in ephemerede legentem, cum videret adulescentes tam efferatos.

Simulavimus rem non spectare ad nos, et illa mulier etiam etiamque magis se a me removebat, quia tantopere exsputabam. Magister autem oculis viperinis nos aspectabat, ut hoc aegrē ferremus, et Fridericus quaereret, num scirem, quomodo fieri posset, ut discipuli primae classis Latinae tam male progrederentur. Tum magister tussivit vehementissimē, et vir ille crassus quaesivit, num hodie prorsus deessent remedia, quibus mederetur procacibus pueris male mōratis.

Magister autem respondit non iam permissum esse, ut talia adhiberentur, propter falsam humanitatem, et quia magister puniretur, si cuius discipuli pulsaret caput tantummodo aliquantulum.

Omnes homines in curru sedentes mussitaverunt: »Hoc est verum« et mulier iuxta me sedens dixit oportere, ut parentes gratias agerent, si quis nates contunderet<sup>1</sup> talium catulastrorum quam probissimē. Deinde iterum omnes mussitaverunt, et in altero compartimento magnus vir surrexit et dixit gravi voce bassā: »Eheu quantum doleo non iam esse parentes sat sapientes.«

At Fridericus istaec levi egit bracchio pedemque suum meo appulit, ut ego quoque hilaris fierem. Qui nasicipium<sup>2</sup> suum caeruleum e sacculo sumptum naso imposuit, omnes homines aspectavit, fumum per nasum efflavit.

<sup>1</sup> **natēs contundere** orig. *Sitzleder verhauen*. cfr GRIMM, Deutsches Wörterbuch, tom.2 (Biermörder-D), Leipzig 1860, col.1595, s.v.: „DURCHBRITSCHEN, durchpritschen, mit der britsche schlagen. Der vater hat den knaben durchgebritscht, einen stattlich durchpritschen **palma nates alicujus probe contundere** STIELER 1480.“

<sup>2</sup> \***nāsicūpium**, -ī n. (sc. perspicillum) orig. Zwicker.

Cervesiam in proximâ statione emptam celeriter ebibimus. Deinde hyalos e fenestrâ ejectavimus, ut custodem ferriviae (si qui esset) percuteremus. Tum magnus ille vir clamavit: »Isti catulastrî castigandi sunt!« et magister clamavit: »Ora opprimite, ne vobis alapas ducam!« Fridericus autem dixit: »Conare, si quidem satis audax es«. At magister non ausus: »Non iam licet« inquit, »alicuius discipuli caput pulsare, alioquin ipse punitur magister.« Magnus autem vir: »Sinas« inquit, »ego deprehendam istos catulastrōs.«

Idem enim fenestrâ apertâ rugivit: »Heus conductor, conductor!« Tramen modo constiterat, et conductor tam celeriter accurrit, quasi factum esset incendium. Qui rogavit, quidnam ageretur, et magnus vir respondit: »Isti catulastrî per fenestram ejectaverunt hyalos cervesiarios. Oportet istos comprehendere.«

At conductor irâ erat incensus, quia senserat factum esse infortunium, sed nil gravius erat factum.

Qui viro dixit: »Propter istam rem quidnam tumultuaris?« Nobis autem dixit: »Vobis non licet hoc facere, domini mei.« Hoc cum mihi placeret, dixi: »Veniam peto, Domine Conductor Superior, nesciveramus, ubi hyali deponendi essent, sed nunc nullum iam hyalum foras proiciemus.« Fridericus autem conductorem rogavit, num sigarum fumare vellet, sed is respondit, se nolle, quia non fumaret sigara tam fortia.

Deinde ille abiit, et magnus vir considens dixit se putare conductorem esse Borussum. Omnes homines denuo mussitaverunt et magister iterum iterumque affirmabat: »Domine Consiliari Provincialis, crede mihi me vix animo temperare, sed non iam licet discipuli caput pulsare.«

Nos vehi perrexiimus, et in statione proximâ iterum êmimus cervesiam. Cum hyalum ebibissem, prorsus vertigine correptus sum et omnia mihi visa sunt circumverti. Caput e fenestrâ erexi, ut resipiscerem. At non resipui, et vehementer studui animum meum cohibere, quia putavi homines cogitare me impatientem esse fumandi.

At cum nihil iam aliud prodesset, celeriter petasum meum sumpsi.

Tum mulier illa prosiluit et clamavit, et omnes homines surrexerunt, et magister dixit: »En quid factum sit. Istud praedixeram.« Magnus autem vir in altero compartimento dixit: »En ex talibus catulastris fient anarchistae.«

Ego autem cogitavi me, si reconvaluissem, ne semel quidem sigarum fumaturum esse et semper obsequentem fore neque umquam matri effecturum esse aegritudinem. Cogitavi quanto pulchrius esset, nisi nunc

male me haberem, et perae meae inesset testimonium bonum, sed nunc me manu tenêre petasum, in quem vomuissem.

Fridericus autem dixit se putare stomachum crudum factum esse botulo comeso. Me voluit adiuvare hominibus affirmans me esse fumatorem assuefactum. At non probê fecit cum mentitus est.

Subito volui esse filius bene môratus et taeduit me mendacii.

Itaque Câro Deo pollicitus sum me nullum iam commissurum esse peccatum, si quid id effecisset, ut reconvallescerem. Sed mulier iuxta me sedens cum nesciret me velle meliorari, clamare non desiit quamdiu sibi esset patiendus foetor mei.

Tum Fridericus petasum e manu meâ exemptum e fenestrâ protendens evacuavit. At tantum evomiti cecidit in tabulam calcatilem, ut streperet, et tramen cum in statione constitisset, expeditor accurrit clamans: »Quis istam fecit spurcitiam? Malum, nefas, conductor, qualis ista est latrina spurcatissima?«

Omnes homines ad fenestram prosiluerunt et ex fenestrâ prospexerunt oculis torpidis in tabulam calcatilem pollutissimam. Conductor autem vînit et aspexit et rugivit: »Quisnam istam fecit spurcitiam?«

Magnus autem vir ei dixit: »Est îdem qui etiam lagoenas cervesiae abiectavit, quod tu ei permisisti.«

»Quidnam de lagoenis cervesiariis?« interrogavit expeditor.

Tum conductor: »Tu quidem« inquit, »es vir improbus, cum dicis me permisisse, ut is puer abiectaret lagoenas cervesiarias.«

»Qualis sum vir?« magnus dominus interrogavit.

Deinde conductor: »Tu es« inquit, »improbus vir mendax, nam hoc non permisi.«

Expeditor autem dixit: »Noli mala verba facere. Oportet rem agere tranquillê.«

Omnes homines in tramine versantes huc illuc clamabant nos esse pueros pessimê môratos ideoque esse comprehensos in vincula coniciendos. Maximâ voce rugivit magister semper semperque dictitans se ipsum esse virum scholarem. Evidem cum nausearem, nihil dicere potui, sed Fridericus loco mei loquens ex expeditore quaesivit, num quis comprehendendus esset, si in statione ferriviae accepisset botulum venenosum. Denique expeditor dixit me non comprehendendum, sed tabulam calcatilem purgandam esse, meque debere pecuniam solvere pro purgatione. Quam constare unâ marcâ. Deinde tramen denuo profectum est, et ego semper caput e fenestrâ protendebam, ut melius me haberem.

*Endorpii* Fridericus exscendit, deinde stationem advēni meam.  
 Mater mea et Annula fuerunt in statione ferriviariâ meque exspectaverunt.  
 Adhuc aliquantulum male me habebam et ex capite dolebam.  
 Itaque gavisus sum noctem iam esse, ne appareret, quam pallidus essem.  
 Mater mea me osculata statim rogavit: »Quam rem oles, Ludovice?«  
 Annula autem rogavit: »Ubi habes petasum tuum, Ludovice?« Tum  
 cogitavi, quam tristes illas futuras fuisse, si verum dicerem; itaque dixi me  
*Mühlendorpii* comedisse botulum venenosum meque gavisurum esse theā  
 chamomillae acceptā.  
 Domum iimus et in mediano lampas ardebat et mensa erat strata.  
 Accurrit Theresia vetula coqua nostra, et me conspecto exclamavit: »O  
 Iesu et Maria, puer noster quo aspectu est? Hoc factumst quod puerum  
 nimis laborare iubes studiis suis doctis, Domina Saltuarii Superioris«.  
 Mater mea dixit me aliquid mali comedisse, et illa ut celeriter mihi  
 coqueret theam. Tum Theresia cito coquinam petivit et ego consedi in  
 stibadio.  
 Iuvenculus canis noster iterum iterumque me assultans volebat abligurrire.  
 Omnes autem gavisi sunt me adesse. Quo animus meus perquam mollis  
 factus est et cara mater mea cum quaereret, num probus fuisse, respondi,  
 me talem fuisse, sed velle fieri etiam probiorem.  
 Dixi me botulo venoso degluttito cogitasse mihi fortasse fore  
 moriendum, et homines sensuros esse non dolendum esse de morte meā.  
 Itaque mihi proposuisse, ut nunc alias fierem et omnia facerem, quibus  
 mater mea delectaretur, et multa discerem neve umquam domum irem  
 poenam datus, ut omnes de me gloriarentur.  
 Annula autem me aspiciens: »Nonne« inquit, »tecum attulisti testimonium  
 maximē miserabile, Ludovice?«  
 At mater sorori meae interdixit, ne me irriteret, et dixit: »Heus Annula,  
 noli sic loqui, cum frater tuus aegrotans sibi proposuerit, ut inciperet  
 vivere modo novo et meliore. Pro certo habeo fore, ut Ludovicus promisso  
 suo stet meque multimodis delectet.« Tum ego non potui, quin lacrimarem,  
 et vetula Theresia audivit me moriturum talia mihi proposuisse. Itaque illa  
 flevit voce horrendā et clamavit: »Hoc fit propter studia docta nimisque  
 laboriosa, isti puerum nostrum nimio labore conficient.« Tum mater illam  
 consolata est, quia lamentari non desinebat.  
 Denique dormitum ii, et in lecto collocatus me habui suavissimē. Mater  
 mea per ianuam lanternam ad me protendens: »Heus mi puerule« inquit,

cura ut quam optimē recreeris.« Evidem diu vigilans muginabar, quonam modo nunc me gessurus essem quam probissimē.

Fons: Ludwig Thoma: Gesammelte Werke in sechs Bänden. Band 4, München 1968. Permalink: <http://www.zeno.org/nid/2000578283X>

**NARRATIUNCULAS  
PUERI MALE MÔRATI  
SCRIPSIT  
LUDWIG THOMA  
IN LATINUM CONVERTIT  
LEO LATINUS**

## **CHRONOGRAMMA DEMMINGIANUM**

Zum 6. Februar 2022

ELISABETHA SECVNDA  
NVNC NONAGINTA QVINQVE ANNOS GENITA  
PER LXX ANNOS BRITANNIAE MAGNAE  
POPVLARIS STRENVA OFFICIIQVE SERVIENS REGINA

Elisabeth II,  
jetzt 95 Jahre alt,  
ist 70 Jahre Großbritanniens  
beliebte, tüchtige, ihrer Pflicht dienende Königin.


HDf

## FABELLA GRIMMIANA (11)

### De iuvene venandi perito

Fuit aliquando iuvenis, qui cum artem claustrariam didicisset, patri dixit sibi eundum esse in terras longinquas, ut experiretur, quidnam facere valeret. Tum pater: »Assentior« inquit, »sanê hoc facias« filioque dedit pecuniam ad iter faciendum. Itaque iuvenis circumvagans petebat operam exercendam. Aliquando cum artis claustrariae parum lucrosae parumque decorae eum taedesceret, affectus est cupiditate venandi. Tum migrans incidit in venatorem veste viridi indutum, a quo rogatus, quisnam esset et unde venisset, et quo migraret? Iuvenis autem respondit se esse socium claustrarium, sed artem claustrariam sibi non iam placere; se velle artem venandi discere, num ille paratus esset ad hanc artem docendam. »Ah bene, ero, si quidem tu mecum migrare volueris.« Tum iuvenis venatorem comitatus est et per aliquot annos illo docente absolvit tirocinium venandi. Deinde idem ipse voluit fortunam suam experiri, a venatore nullam mercedem accepit nisi sclopeturn pneumaticum, quod eo fuit mirandum, quod iuvenis quandocumque iaculabatur, numquam a scopo aberravit. Tum profectus vénit in silvam permagnam, cuius finem non invénit quamquam per totum diem permigraverat. Cum advesperasceret, iuvenis consedit in arbore altâ, ne nocte incideret in bestias feras. Multâ nocte iuveni visa est lucula e longinquo enitêre, tum idem per ramos in illam prospiciens attendit, ne oblivisceretur, ubi illa esset. Sed primo petasum sumptum deiecit ad lucem, ut is etiam esset sibi signum, quo agnosceret directionem. Nunc ex arbore descendit, petasum accessit, denuo capiti imposuit, rectâ via iter perrexit. Quo longius iter faciebat, eo maior fiebat lux, et cum appropinquasset, vidit eam esse ignem ingentem, cui assidebant tres gigantes, qui assabant bovem verutum. Nunc unus eorum: »Gustabo« inquit, »num caro satis percocta sit«, frustum abreptum ori ingessurus – sed eo momento temporis frustum carnis e manu deiectum est globulo quem venator erat iaculatus. Tum gigas: »Talia« inquit, »interdum fiunt: En vento mihi frustum e manu abiectum est«, et sumpsit alterum. At carnem admorsurus, eadem quoque a venatore sclopetando abiecta est; tum giganti iuxta se sedenti alapam duxit et clamavit irâ incensus: »Quid frustum mihi abripis?« - Tum alter: »Evidem« inquit, »frustum tibi non abripui, nescio an hoc fecerit aliqui sclopetator lynceus«. Gigas autem

tertium sumpsit frustum, sed manu tenere non potuit, quia venatoris globulo ejectum est. Tum gigantes dixerunt: »Qui iaculando frustum ab ore scit abicere, procul dubio est bonus sclopetarius – talis nobis erit utilis« et vocaverunt magnis vocibus: »Veni huc, iaculator acerrime! Conside ad ignem, et comedere ut satureris; nullam vim tibi afferemus; sed nisi vêneris, violenter in te agemus, ut pereas«. Tum iuvenis adiit et dixit se esse venatorem peritum, et ad quamcumque rem se collinearet, hanc perfossum iri globulo suo certissimê.



Tum illi dixerunt, si iuvenis secum venturus esset, bene se habiturum esse, eique narraverunt ante silvam esse quendam lacum, post quem stare turrim, cui insideret pulchra filia r̄egis, quam vellent rapere. Tum iuvenis: »Hanc«, inquit, »mox adducam«. Tum illi loqui perrexerunt: »Est etiam alia res gerenda, ibi iacet catulus, qui, si quis appropinquaverit, statim incipiet latrare, et ubi primum latrabit, excitabuntur omnes aulici in aulâ regali, itaque non poterimus intro venire; tune poteris catulum necare sclopetando?« Iuvenis: »Si res« inquit, »est tantula, faciam facillimê«. Deinde consedit in aliquâ nave, et vectus est super lacum, et ubi primum fuit in terrâ, accurrit catulus latraturus, sed iuvenis sclopeto pneumatico correpto catulum necavit iaculando. Hôc viso gigantes laetati putaverunt filiam r̄egis sibi iam esse certam, sed iuvenis eosdem iussit foris remanere, usque dum a se advocarentur. Tum idem iit in castellum, vastum erat silentium, et omnes dormiebant; primo conclavi aperto iuvenis vidit acinacem ex pariete pendentem, qui confectus erat ex argento puro, eidem inerant stella aurea necnon nomen r̄egis; iuxta eum stabat mensa, cui imposita erat epistula sigillata, quam effregit; in epistulâ scriptum erat eum, qui haberet acinacem, eodem omnia quae sibi obvenirent posse vitâ privare. Tum acinace de pariete sumptum sibi accinxit, ire perrexit, vénit in conclave, ubi iacebat filia r̄egis dormiens, et ea tam pulchra erat, ut consisteret tranquillus eam aspectans animâ compressâ.



Circumspiciens iuvenis vidit par calceorum domesticorum sub lecto positum, quorum in dextro inscriptum erat nomen patris stellâ additâ, in sinistro nomen filiae stellâ additâ. Collo puellae circumpositum erat magnum anaboladium sericeum, cui aureae litterae acu erant impictae, in parte dextrâ nominis paterni, in sinistrâ propriae. Tum venator forfice sumptâ laciniam dextram resecuit et perae suae indidit, et deinde etiam calceum dextrum sumpsit et indidit. Nunc virgo adhuc dormiens iacebat tota camisiae insuta, iuvenis laciniolam quoque camisiae absectam apposuit ceteris perae iam insitis, sed haec omnia faciens puellam numquam attingens. Deinde iuvenis profectus est virginem relinquens intactam atque inturbatam, et cum ad portam revenerit, ibi gigantes adhuc stabant exspectantes eum adducturum esse filiam regis. At iuvenis illis acclamavit ut etiam intro venirent, virginem a se iam captam esse; sed ianuam se non posse aperire, necessarium esse, ut illi reperent per quoddam foramen. Nunc primus gigas appropinquavit, tum venator capillos gigantis circa manum suam volvit, eius caput intro traxit, uno ictu acinacis abscidit, deinde intro traxit corpus reliquum. Tum venator alterum gigantem vocavit, item eius caput abscidit, denique tertium, et gavisus est, quod pulchram virginem ab adversariis liberaverat, et linguas gigantum absectas perae suae imposuit. Tum cogitavit: „Domum ibo ad patrem meum monstratum, quid iam confecerim, deinde migrabo per terras longinas; nam faustam fortunam, quam Deus mihi donare voluerit, me accepturum esse bene spero.“

Rex autem in castello, cum experrectus esset, vidit tres gigantes mortuos in pavimento prostratos; tum iit in cubiculum filiae, eam excitavit, rogavit, quisnam fuisset, qui gigantes vitâ privaret. Tum filia: »Care pater« inquit, »nescio, nam dormivi«. Cum virgo surrexisset, voluit induere calceos domesticos; sed animadvertisit dextrum deesse, et anabolodium aspiciens

invénit idem esse dissectum et deesse laciniam. Deinde rex iussit omnes aulicos congregari et milites et omnes alios praesentes et ex iis quae sivit, quisnam filiam liberavisset et gigantes vitâ privavisset? Rex autem habuit centurionem, qui erat uno tantum oculo et formâ foedâ, is dixit se hoc fecisse. Tum rex dixit, quia centurio hoc perfecisset, eidem licere filiam suam in matrimonium ducere. At virgo: »Care pater« inquit, »pro eo, ut isti viro nubam, mālo abire in terras longinas tam longē, quam ferar a pedibus meis.« Tum rex dixit, si illi nollet nubere, ut exueret vestimenta regia, indueret rustica, et abiret; et ut iret ad figulum et faceret mercaturam vasorum figlinorum. Tum virgo exuit vestimenta regia, iit ad figulum, mutua sumpsit vasa figrina; promisit ei etiam, se, si vespere illa vendidisset, pecuniam esse soluturam. Deinde rex dixit, ut filia consideret in angulo et vasa venderet; tum sibi mandavit nonnullos currūs rusticos, qui per vasa veherentur media, ut omnia diffingerentur in mille testulas. Ubi primum filia rēgis vasa figrina in viâ posuit, venerunt currūs, quibus vasa diffracta sunt in mille testulas; tum virgo coepit lacrimare et: »O Deus« inquit, »quamnam pecuniam nunc solvam figulo?«

Rex quidem isto modo cogere voluerat, ut centurioni nuberet; at pro eo virgo iterum iit ad figulum eumque rogavit, num iterum sibi mutua daret vasa figrina. Ille autem negavit, et postulavit, ut puella primo pecuniam sibi solvat pro vasibus antea datis. Tum ea rediit ad patrem clamans atque lamentans se velle abire in terras longinas. Tum is dixit ut filia iret in silvam, ibi ei curaret domunculam aedificandam, in quā per vitam suam reliquam sederet pro quibuslibet hominibus, sed ne sumeret pecuniam pro cibis coctis. Itaque domunculam filiae curavit in silvā aedificandam necnon titulum ante ianuam suspendendum, cui inscriptum erat: »Hodie gratis, cras pro pecuniā«. Ibi virgo sedebat per longum tempus, ut fama percrebresceret ibi sedere virginem, quae gratis coqueret, quod inscriptum esset titulo ianuae praeposito.

Hoc cum audivisset etiam venator, cogitavit: „Haec tibi videtur esse bona occasiuncula, nam pauper es pecuniae expers“, sclopētum pneumaticum et peram, cui omnia adhuc inerant, quae illo tempore in castello ut indicia veritatis indiderat, iit in silvam necnon invénit domunculam titulo instructam, cui inscriptum erat: »Hodie gratis, cras pro pecuniā«. Accinxerat autem acinacem illum, quo capita absciderat trium gigantum, intravit domunculam, sivit sibi dare aliquem cibum. Iuvenis gavisus est de



virgine pulchrâ, reverâ formosissima. Cum eadem quaevisisset, undenam venisset et quo iturus esset; tum iuvenis respondit: »Circumvagor per terras longinquas.« Cum illa quaevisisset, undenam accepisset acinacem, cui inscriptum esset nomen patris sui, iuvenis quaevisit, num illa esset filia rēgis?« - »Sum« illa respondit. Tum iuvenis: »Hōc acinace« inquit, »capita abscīdi trium gigantum« et indicio e perē exēmit linguas illorum, deinde monstravit virginis calceum domesticum et laciniam anaboladii necnon partem camisiae. Tum puella summē gavisa dixit iuvenem esse eum, qui se redemisset. Deinde unā ierunt ad rēgem vetustum et filia patrem duxit in cubiculum suum eique dixit venatorem esse reverâ illum, qui se redemisset a gigantibus. Cum autem vetus rex indicia haec omnia aspexisset, non iam dubitans dixit hoc sibi plurimum placere et ut iuvenis nunc in matrimonium duceret filiam suam; quo virgo gavisa est intimo ex corde. Deinde iuvenem vestierunt, quasi esset vir alienus, et rex curavit convivium parandum. Cum essent cenaturi, centurio iussus est considere a sinistris filiae rēgis, venator a dextris, et centurio putavit eum esse virum alienum visitatorem. Cum comedissent atque bibissent, vetus rex centurioni dixit se eidem propositurum esse aenigma, quod solveret: si quis diceret se tres gigantes vitâ privavisse, et rogari, ubi essent linguae gigantum, et eundem capitibus inspectis nullas invenisse, quonam modo istud fieri potuisse? Tum centurio: »Equidem puto« inquit, »illos linguas numquam habuisse«. Tum rex: »Erras« inquit, »certē omne animal habet linguam« et quaevisit ex isto, quānam poenā dignus esset ille? Tum centurio respondit: »Iste dignus est, qui in partes distrahatur«. Tum rex dixit eum ipsum de se iudicavisse, et centurio comprehensus in vincula coniectus est et deinde in quattuor partes distractus. Filia autem rēgis nupsit venatori, qui arcessivit patrem atque matrem, ut gaudenter apud filium viverent, et rēgi seni mortuo successit.

**FABELLAM GRIMMIANAM**

**C.T.**

***Der gelernte Jäger***

**IN LATINUM CONVERTIT**

**LEO LATINUS**

# De Bello Frigido deque casu Chilensi

## COMMENTARIUS



*Scripsit Paulus Kangiser<sup>1</sup>*

### I.- INTRODUCTIO

Dies undecimus mensis Septembris anni MCMLXXIII (1973) fuit praestantissimus in historia Chilensi atque in Bello Frigido, quod inter Russiam Sovieticam et Status Unidos certabatur; Chilia iamdiu facta erat politicarum altercationum palaestra, ubi sinistrani, qui Russiam fovebant et dexterani, qui favebant Statibus Unitis, acriter de republica disputabant. Bellum Frigidum, quod potius dicendum est Bellum Ideologicum, pugnabatur machinationibus politicos et oeconomicis et culturalibus et informativis, praesertim falsis, ab anno 1945 usque ad 1991, etiam interdum armis. Sunt qui putent Bellum Frigidum coepisse ab anno 1917, triumphante Eversione Bolscevica, nam ex huius doctrina capitalismus erat vi delendus et substituendus pro communismo; praeterea illos Russos nuncupatos Albos, qui communistis tunc adversabantur, Statunitenses fovebant; exinde in utroque mundo inimicitia diffidentiaque invicem ortae sunt, eoque magis quod ductores politici verba de re acriter faciebant, necnon altero bello mundano finito; Winstonus Churchill, olim Minister Angliae Primarius, in oratione habita in Collegio Vestminsteriano Missuriae, anno 1945, promovit pactum cum Statunitensibus contra Sovieticos, qui Cortinam<sup>2</sup> -quae dicitur- Ferream a mari Baltico ad Hadriaticum vellent exstruere, ut Europam bifariam dividerent et omnes civium sovieticorum vitae e Moscua regerentur.

Praecipua Belli Frigidi imago fuit Germania eiusque urbs caput Berolinum, quae urbs divisa erat in partes duas, quarum unam regebant Germani Russorum Praesidio, alteram Statunitenses et

<sup>1</sup> Auctor gratias agit Professori Cristóbal Macías, ex Universitate Malacitana, quod menda expurgavit et correctiones formales proposuit.

<sup>2</sup> Verba hoc signo (\*) distincta explanantur in parte VI.- VOCABULA NEOLATINA.

Anglici et Francogalli consociati; tota igitur Germania in partem orientalem sive communisticam atque occidentalem sive foederatam, usque ad Nationem readunatam anno 1990, divisa permansit. Bellum vero Vietnamense (1955-1975) et Bellum Afganum (1978-1992) etiam sunt recordanda ut Belli Frigidi armifera exempla, quorum non oportet hoc loco plura enumerare.

Altero bello mundano confecto, Status Uniti facti sunt potentissimi in toto occidentali hemisphaerio sine ullo contrapondere; dein pacem et amicitiam cum reliquis nationibus, praesertim Americanis, intenderunt confirmare, ita ut exinde tuitio hemisphaerica constituta esset; ex hac tuitione motūs culturales vel politici, quos sovietici conabantur, a nationibus occidentalibus repellerentur. Rebus sic stantibus, Salvator Allende<sup>3</sup>, medicus et socialista, rempublicam Chilensem anno 1970 democratice adeptus est, deditque ansam multis sinistranis, qui Eversionem Cubanam mirabantur, ut politice et oeconomice in administratione publica interessent; exinde Chilia coepit paulatim labefactari; post tres difficiles annos et cibariorum inopia et civium aerumnae tales erant ut Allendem e gubernio manu militari ejectum iri plerique exoptarent.

Facta quae ante ictum militarem acciderint necnon postea, bona fide exponemus, simili modo de ipso ictu aliqua dicenda sunt, quae arbitratu meo narrabo sub ea consideratione: nullum de his rebus scriptorem a suis praeiudiciis ideologicis, quamvis voluerit, discedere potuisse. Utrum ego potuerim annon lector iudicabit. Denique politicorum virorum, qui participarunt res infra narratas, verba et opiniones accurate transtuli, interdum oratione obliqua, sed opiniones fere semper breviavi.

## II.- DE REBUS QUAE ANTE ICTUM MILITAREM ACCIDERINT

**1.- Viri politici rem publicam paulatim laedunt.** Quod autem ad Chiliam attinet, cum democratiam deletam explanare velimus, oportet memorare conventum Linariensem<sup>4</sup> anno 1965 habitum a Factione Socialistica Chilensi, ubi ex consensu affirmarunt suffragia comitiaque

---

<sup>3</sup> Nomen latinizatum est paene invariabile "Allende", sed dativus Allendi, accusativus Allendem; etiam "el" duplex ["ll"] intervocalicum fere sonat ut "i", ergo "Aiende".

<sup>4</sup> Hisp. Linares; Lat. Linaria (-ae) (C. Egger); Lat. -36°43' Long. -46°6'.

non valere ad potestatem remque publicam adipiscendam et idcirco oportere omnibus viis et methodis uti, quas ipsa pugna revolutionaria necessarias commendaret; biennio post, in conventu in oppido Chiliano, prope Linariam, ab eadem Factione triduum a die 24 m. Nov. celebrato, quindecim et centum legati Chilenses adfuerunt et advenae quoque ex Unione Sovietica et Germania Orientali et Rumania et Jugoslavia<sup>5</sup> et Uruguai et Factione Socialistica Baath Syriana (J. C. Jobet); hi omnes exteri nuncupati sunt legati fraterni; ex eo autem conventu haec proposita protulerunt: vim revolutionarium esse inevitabilem legitimamque ad potestatem politicam adipiscendam, quapropter Status burgarius eiusque democratia atque exercitus essent delendi ut socialistica eversio posset triumphare; urbanas enim altercationes per se ad potentatum obtinendum non adducere, quas tamen in usu haberi posse usque donec armis dimicaretur. Denique ibidem laudata est Organizatio Latinoamericana pro Solidaritate (OLAS), quae commendabat eversionem communisticam per continentem Latinoamericanum perferre secundum Cubanum exemplum, eo consilio ut et ideologiā socialistica et debellatione informali imperialismus Statunitensis tandem vinceretur (C. Almeyda); huius Organizationis Salvator Allende, anno 1967 praesidiatum sumpsit.

Allende, qui iam diu socialismum amplexatus erat, Stalino anno 1953 mortuo, in honoribus ei in Jacobopoli Chilensi tributis, orationem palam peroraverat in qua Sovieticos amicabiliter commendabat; Volodia quoque Teitelboim, ductor communisticus, in eisdem honoribus inter alia dixit fere haec: Josephum Stalinum gloriose aeterneque hodie in ardenti Columnarum Aula Moscovensi iam dormire; illum amatum omnium operariorum ductorem mortuum esse; maximum et profundum et nobilem humano generi amicum fuisse; rerumque copiam atque felicitatem populo suo tradidisse; omnesque populos sub vexillo Staliniano per brevissimum iter provehi ad victoriam et ad mundum humanae felicitatis (diarium [Hisp.] El Siglo, marzo de 1953<sup>6</sup>).

---

<sup>5</sup> "I" maiusculum semiconsonans vertemus pro littera "J".

<sup>6</sup> Sumptum e J. Piñera (**PR 1: Pagina Retialis Prima**); Vide partem V.- LIBRI ADHIBITI ET EPHEMERIDES ET PAGINAE RETIALES.

Dein - anno 1969 - Factio Socialistica et Factio Communistica aliaeque factiones sinistranae minus frequentes condiderunt politicam consociationem sub Unitatis Popularis nomine. Haec omnia accidebant vigente bello frigido, quo in bello Unitas Popularis Unionis Sovieticae partes sequebatur adversus et Status Unidos et eam Europae partem, quae democratiam colebat.

**2.- Politici dexterani non absunt a culpa.** Dexterani eo tempore minime intellexerunt quo pacto principia sua politica explananda divulgandaque essent, quippe ius proprietatis vix custodirent; in dexteranis vero defuerunt ductores, qui doctrinam tam firmiter defenderent quam suam socialistae; illa verba ut mercatum vel inceptum vel oeconomicam certationem nefas erat pronuntiare; doctrinaeque liberalis vera natura aliquo quodam timore paene celabatur (O. Godoy).

Etenim ius proprietatis enervari coepit praesidente Georgio Alessandri (1958-1964), dexterano, qui agriculturam leviter emendare cupiebat et idcirco primam reformationem agrariam promulgavit; ilico Recaredus Ossa, Agricolarum ductor, paene prophetice tunc locutus est: iure proprietatis agricolarum vulnerato, regimen democraticum Chilense deturbatum iri; immo, hoc esse initium quo reliquae nostrae facultates vulnerarentur, nam, damnum, quod nunc inferretur agricolis, cur non postea vel civibus vel negotiatoribus? Ex hac levi proprietatis fissura, quam quidam minimi putent momenti, deinde totius systematis ruinam esse venturam (PR 1).

Praeses Edoardus Frei Montalva (1964-1970), democrata christianus, eandem viam perrexit addiditque haec duo: primum, nova reformatione agraria ius proprietatis ex ipsa lege debilitari, quippe quod multa praedia insufficienti compensatione postea confiscarentur; dein violentiam politicam, quam extremistae tunc agere coepissent, segniter vix suffocari posse. Factio enim Socialistica, ut supra dictum est, viam armatam ab anno 1967 aperte proponebat; eo tempore quo Frei Montalva gubernavit, multa aedificia expugnata sunt et brevi tempore ab sinistranis retenta vel studiorum universitates vel sedes municipales vel fabricae, necnon arva sive praedia agricola (C. Pérez) et obsessae viae, etiam unum excubitorium militare atque cathedralis metropolitana; exinde sinistrani putaverunt

sibi facile esse ordinem publicum evertere. Attamen haud facile fuit extremistas refrenare.

**3.- De caede Portomonttensi<sup>7</sup>.** Ex multis locis ab sinistranis, ut supra diximus, aut vi aut immerito occupatis, unus in Portu Monttensi saltem narrandus est, ubi gravissima caedes memoratur; quinquaginta pauperes familiae praedium agreste contra legem occuparunt, eo consilio ut in eo habitationes sibi ope fisci exstruerentur; sed praedii dominus obtinuit ut manu militari (id est ab carabinariis\*) expellerentur occupantes, e quibus undecim in certando mortui sunt et 56 vulnerati, etiam trium mensium infans ob gasum lacrimogenum die postero in nosocomio obiit; carabinarii autem 217 expulsionem egerunt, e quibus vulnerati duodeviginti; haec acciderunt in loco, qui nominabatur Planities Irigoin<sup>8</sup>, die 9 mane mensis Martii an.1969, Edoardo Frei Montalva Praesidente.

Quod quidem factum gravissimum putatum est, adeo ut Minister pro Rebus Internis, qui tunc erat Edmundus Pérez Zujovic, apud Parlamentum a factionibus sinistranis de auctoritatis abusu accusaretur, qui vero inter alia sic se defendit: legitimum fuisse rem vi gerere nam illegitimos occupantes instructa violentia egisse, eoque magis quod municeps Aloysius Espinoza, a Factione Socialistica, occupationem instigavisset, etiam socialistas falso affirmare carabinarios insidiose et praemeditatione ad praedium occupatum appropinquavisse, quam non esse nisi audacem calumniam. Causa ab utroque dicta, deputati rem decernunt: suffragia 78 pro Pérez Zujovic, 54 contraria; attamen post tres hebdomades Minister munere abdicavit, quia privatum inceptum curare deberet.

Biennio post, Edmundus Pérez interfactus est a tribus terroristis, qui in via urbana insidiati tela in eum autoraedam gubernantem eiecerunt; id iustum fuisse dixerunt quia clades Portomontensis vindicanda esset; sceleris auctores fuerunt duo fratres Rivera cognominati, quos vestigatores publici quinque dies persecuti sunt, usque tandem eos, armis repugnantes, occiderunt; tertius terrorista, Heribertus Salazar,

<sup>7</sup> vulgo Puerto Montt, cum duplice “t”, nam hoc nomen non pendet a verbo *mons (-tis)*, sed a cognomine Praesidis Reipublicae, qui fuit M. Montt.

<sup>8</sup> vulgo Pampa Irigoin.

paucis post diebus Aedificium Publicum Investigatorium violenter introivit et tres investigatores, qui prope atrium versabantur, interfecit; denique ipse, qui dynamitam in veste ferebat, explosione perit (PR 2).

**4.- Politici sinistrani triumphant.** Socialistae vero, quamquam democratiam non fovebant, comitia die 4 m. Sept. anni 1970 habita participarunt et Salvator Allende primum locum obtinuit; populus viderat frustrationes gubernativas Georgii Alessandri et Edoardi Frei Montalva, quorum neuter pro incremento oeconomico satis agere valuit, quapropter pauperes adiuvare, tantum ut erat necessarium, impossibile fuit. Statim ut Allende in comitiis primum locum obtinuit, Praeses Richardus Nixon, quoniam rem aegre tulerat, coepit excogitare quo modo Allendi praesidiatum intercluderet; itaque die 15 mensis Sept. arcessivit Richardum Helms, Centrali Intellegentiae Agenturae (CIA) praepositorum, cui imperavit dare operam ne Allende Praeses crearetur, aut si minus, ut de solio praesidentiali deturbaretur (PR 3). Allende, quamquam primam maioritatem in comitiis die 4 sept. a. 1970 obtinuerat, victor tamen illico non discessit, quia omnium civium suffragia ei necessaria erant, plus quam dimidia pars (50% plus unum), sed adeptus erat tantum 36 centesimas et 63 millesimas (36,63%); itaque iuxta Constitutionem oportebat ut Parliamentum eligeret inter Allendem et Alessandri, dexteranum, qui secundum locum in his comitiis obtinuerat (35,29%) (PR 4).

**5.- Status Uniti intervenire conantur.** Praeses Nixon primum conatus est curare, ne Allende sed Alessandri a parlamentariis eligeretur, eo consilio ut is postea praesidiatum abdicaret novaque comitia indicerentur; in his novis comitiis Edoardus Frei absque dubio Praeses eligeretur. Quod propositum perficere Nixon et sui non potuerunt.

Deinde Praeses Nixon tumultum politicum in Chilia provocare intendit, eo consilio ut ad tumultum pacandum duces militares in re politica intervenirent et electionem Allendi irritam facerent, quod propositum ut perficerent, Generalem\* Summum Exercitūs, qui tunc erat Renatus Schneider, sequestrare decreverunt sperantes exercitum, excubitoris castrisque derelictis, foras exiturum esse et pro suo Summo Generali

propugnantem impediturum esse, ne Allende Praeses a parlamentariis eligeretur. Itaque die 22 m. Oct. anni 1970 aliqui cives iuvenes Generali Schneider insidiati sunt ut eum sequestrarent donec autocineto mane vehebatur; quem se pistolio\* defendere conantem, telis ferreis laeserunt, ut triduo post in nosocomio moreretur. Generalis Schneider de insidiis, quae in se parabantur, nihil sciebat, quapropter intendit se pistolio defendere; attamen ii, qui tantum sequestrare cuperent, cum viderent pistolium in manibus eius, suis quoque armis usi sunt. Schneider Constitutionem frangere nolebat et post eius mortem viā democratica processus constitutionalis perrexit.

**6.- Quid valeant politicorum promissa?** E Chilensi consuetudine primam maioritatem parlamentarii statim elegissent; at cum de Allende ageretur, democratæ christiani -necnon dexterani- timuerunt ne Allende novam Cubam constitueret sive gubernium marxiano-leninianum; itaque placuit ut Allende, antequam praesidiatum iniret, Statutum Democraticum [sive Libertates Civiles] servare iuraret, praeter iusiurandum ritualiter Praesidentibus praestitutum; itaque die 4 m. Nov. anni 1970 sedis praesidentialis magno sectatorum plausu Allende potitus est. Inter gubernium, Praeses Allende eiusque ministri paulatim leges consulto despiciebant et deinde potestates immodice exercebant adeo ut non solum cum Parlamento<sup>9</sup> Nationali conflictarent sed etiam cum Tribunal Supremo et variis iudicibus. Praeterea et intra Parlamentum et foris in circulis civilibus, fere cottidie de iisdem rebus sermo habebatur: de inflatione annua triplicata, de escarum coangustata venditione, de operistitio ingravescenti, deque diffidentia in omnibus; exinde ab oeconomica crisi augebantur egestas et incolarum aerumnae.

Allende porro in oratione in Kremlino habita (die 7 m. Dec. a. 1972) regimen Sovieticum appellavit *Fratrem natu Maiorem*; etenim hierarchæ sovietici Leonida Brezhnev et Alexander Kosygin et Nicolaus Podgorny cum Allende privatim convenerunt, qui postea palam declaravit sese omnibus in rebus opiniones cum eis congruentes habere (PR 1).

---

<sup>9</sup> Parlamentum Chilense (vulgo Congreso) bifariam dividitur: et in Camera Deputatorum et in Senatu.

**7.- De coetibus pro cibariis pretiisque moderandis.** Novissimis temporibus ubicumque bellum gereretur - vel in secundo bello mundano - imponitur ciborum et pretiorum temperatio quo facilius inopia cibi toleretur; in Chilia autem, quamquam eo tempore nullum bellum gessimus, tamen gubernium mense Apr. anni 1972 decrevit creare coetus pro cibariis pretiisque moderandis ita ut in omnibus municipiis varii coetus exstarent, qui incolis escam distribuerent; hi vero coetus cavebant ne cibariorum inopia ingravesceret, neve cibaria maxime necessaria venum darentur supra pretia ab auctoritate publice imposta; ad mentem autem gubernativam inopia non eveniebat a deficiente oeconomica productivitate sed ab illegitimo mercatorum lucro, qui cibaria in cellis coacervabant et vendere nolebant nisi pretia ab auctoritate augerentur; attamen politici gubernativi\* celabant imposta ab autoritate pretia esse iniqua et insufficientia productoribus\* et transactoribus, qui necessarium et legitimum proventum quaerebant; exinde, defessis et digressis mercatoribus, inopia magis augebatur (PR 5); re autem vera hi coetus etiam operabantur politice pro gubernio, propterea quod quicunque carnis chilogrammum vel lactis litram coetu iuvante obtineret, beneficium ab auctoritatibus Statalibus putabat eventum esse.

**8.- Interrogatores\* cruciatu utuntur.** Jam antiquitus quicunque criminis suspectus etiam inson vel testis sub cruciatu interrogabatur ut diceret veritatem; emblematicus\* est Philotae casus a Quinto Curtio saeculo fere primo p.Chr.n. narratus cum coniuratio in Alexandrum Magnum develata erat (Hist. Lib. VI, xi); nostris vero temporibus idem ac antiquitus cives et praesertim qui maleficia machinantur interdum ab inquisitoribus publicis inhumaniter eo modo interrogantur ut veritatem devenient; attamen saepe potest fieri ut veritas, ob ipsum cruciatum, non develetur, nam homo interrogatus quodcumque confitebitur, quamvis sit falsum, ne perget supplicium.

Unitate Populari gubernante, aliqui cives sub cruciatu declarare coacti sunt, quorum nomina non aperte dabo ob debitum respectum eorum, qui durissimas saevitias pertulerunt quas nollent palam memorare; at unum casum breviter narrabo; agitur de iuvene ab inquisitoribus die 13 m. Jan. anni 1972 interrogato, qui adversantem Factionem Nationalem fovebat, cuius ipsius verba quam fidelissime potui

transferre: Quae ab electricis ictibus eveniunt vix possunt singillatim narrari; unum polum electricum in cerebro supra aurem, alterum in inguine mihi, adligato ad ligneam cathedram, vestibus laxatis, inserunt; nervi singulis ictibus sponte contrahuntur et corpus convulsiones atque spasmoda patitur; transpiratio copiosa in dehydratationem pervenit; gemitus et clamores, ob pannum qui os claudit, suffocantur; exinde gravissimum angorem in animo sentires vexatus, quem angorem puto agoniae similem, adeo ut perspiceres imminentem ac necessariam mortem; immo: hanc desiderabam quo celerius finem haberem patiendi; interrogatores affirmabant turmas armatas a Factionis Nationalis Juventute parari, quod omnino negavi (H. Pérez de Arce, pg.95 et seq.).

Alii eiusdem generis casus narrantur in libro de Unitate Populari (Hisp.) scripto, qui acciderunt die 25 m. Sept. anni 1971(pág. 89); die 26 m, Mart. anni 1973 (pág.313); die 2 m. April. anni.1973 (pág.316); die 27 m. Jul, anni 1973 (págs. 387-388) (Documento de “El Mercurio”).

**9.- Politici de gravi crisi constitutionali acriter disputant.** Nunc ingrediamur in Camerae Deputatorum sessionem die 22 m. Augusti a. 1973 habitam; tunc disputabatur de gravi crisi sociali atque oeconomica, qua afficiebatur patria Chilensis; qua in sessione deputatus Claudio Orrego, ad factionem Democratam Christianam pertinens, affirmavit: nationem pati crism, quae nunquam antea in historia patria visa esset; hanc igitur crisin in dies ingravescere, itaque deputatos debere apud nationem atque historiam palam dicere veritatem, nam se non posse silere officiales gubernamentales Tribunali Supremo et ipsi Parlamento et Reipublicae Inspector Generali, sive verbis sive re aperte atque immerito contradicere; denique Praesidem Allendem violavisse civilia iura, quae servare promisisset. Alius deputatus, Hermógenes Pérez de Arce, e Factione Nationali, dixit: Statuto Democratico violato, Praesidem contra legem egisse et idcirco factum esse illegitimum; quamvis democratice et ad Constitutionem ille creatus fuisse, tamen in exercendis potestatibus postea Constitutionem Politicam aperte violavisse. Deputatus Aloysius Maira e Factione Laeva Christiana, quae Unitati Populari intererat,

quamvis accusationes de iuribus violatis non negaverit, tamen opinatus est rempublicam democraticam Constitutione innixam non favere reformationibus oeconomicis, quas agere tunc oporteret. Denique alias deputatus, Joannes Aloysius Ossa, qui Factionis Nationalis Juventuti praeerat, hesterno die a turba manuballistulis armata obsidiatus erat, quapropter pistolio quoque ipse uti debuit ut iuvenes, qui se comitabantur, defenderet; deputatos communisticos proditores, imbelles, mendacesque indixit. Tales erant hominum mentes et animi eo die mensis Augusti; hora tamen secunda post meridiem altercationes sunt interruptae; hora autem octava post meridiem sessio reintegrata est eo consilio ut Camerae consultum de gravi crisi sociali et politica, qua sub Praesidente Allende Chilia afficiebatur, aut approbaretur aut reprobaretur.

Tandem deputati suffragia octoginta unum dederunt ut consultum de nefaria grave sub Praeside Allende crisi approbaretur, quadraginta autem septem reprobarunt; hora fere decima post meridiem sessio dimissa est; postero die in Praesidis Allende manibus Camerae consultum deponitur; ex hoc consulto Praeses Allende eiusque gubernium accusabantur quod pluries Constitutionem legesque graviter violavissent, vel manipulos armatos fovissent, vel tortores agere sivissent, vel viros iniuste in carcere custodivissent, vel contra notitiarum nuntiandarum libertatem graviter egissent, vel puerorum educationem ideologice providissent, vel obstitissent quin cives e finibus exirent, vel praedia et proprietates publicavissent, vel extremistarum turmis favissent, vel Parlamenti et tribunalium potestates contempsissent (textus integer apud A. Pinochet, págs.203-209). Haec omnia methodice agebantur ut Chilia sub regimen totalitarianum submitteretur vel, summatim, ut institueretur communistica dominatio. Biduo post, Praeses Allende litteras palam civibus dedit, ubi affirmabat deputatos adversantes palam exhortatos esse Exercitum et Carabinarios\* ut illegaliter deliberarent contra Praesidem eiusque gubernium resque novas vi instituerent; itaque accusavit plerosque deputatos quod studerent a munere Praesidem amoveri sine respectu formulae constitutionalis. Id tamen erat verum, nam nulla via iuridica ad Praesidem amovendum tunc valebat; ad normam enim constitutionalem Praesidis amotio egebat senatorum duobus partibus annuentium, quapropter si plus quam tertia pars

senatorum Praesidi faveret, impossibilis erat amotio, quamvis saepe legem et Constitutionem violaret. Paucis post diebus Allende publice talia graviter et minaciter contra Constitutionem peroravit adeo ut, in alia natione vere democratica, a munere expulsus esset; etenim dixit: cum tempus eversionis adesset Praesidis eiusque ministrorum esse decernere utrum sententiae iudicariae potestate exsecutiva gauderent annon secundum historicas rerum novarum necessitates ac proposita, quae essent potissima supra quamlibet considerationem; proinde Praesidi vel ministris esse ius ut de rei iudicatae exsecutio decernerent. Tribunal quoque Supremum die postero postquam Camera Deputatorum consultum de gravi crisi proclamavit, iterum publice dixit Gubernium tribunalium independentiam violare conari (PR 1).

**10.- Ordo iuridicus deletur.** Etenim multa negotia inceptaque oeconomica privata dicioni Statali factis argumentis contra legem saepe tradita erant; quapropter Tribunal Supremum, quod querelas audiebat, epistolam Praesidi fere his verbis misit: hoc Tribunal Supremum adducitur ut tibi, Excellentissime Domine, denuo referamus de illicitis auctoritatis administrativae actionibus; huius enim Tribunalis ignorantur potestates, rebusque iudicatis officiales administrativi non obtemperant; praeterea eaedem auctoritates obstant quominus publici vestigatores delicta criminaque sicut e legibus oportet investigent; exinde comperimus et tribunalia et civiles institutiones aperte contemni; haec igitur actiones gubernativae, ut antea retuleramus, non solum Statui Juridico crisin immittunt sed etiam Nationi imminent tumultus ac gravissima pericula (Editorial Jurídica, págs.88-89; etiam PR 6).

**11.- Fraus comitialis.** Die quarto m. Martis. a. 1973 comitia habita sunt, ubi senatores et deputati ad Constitutionem erant eligendi; electores autem ad tres millones et sescenta milia numerati sunt, quorum suffragia pleraque faverunt Factionibus Gubernio adversantibus; hae enim suffragiorum 55 centesimae et 70 millesimae (55,70%) adeptae sunt; Unitati vero Populari faverunt 44 centesimae et 3 millesimae (44,03%); hanc pro gubernio suffragiorum vim nec sinistrani quidem, improsperis rebus, exspectabant; immo, gravi

inflatione rerumque inopia totum Chilensem territorium vexabatur, et quamquam adversantes maioritatem in Parlamento obtainuerunt, tamen suffragia ad Praesidem amovendum non sufficiebant; tunc quidam academicci, qui sistema electorale in Universitate Catholica examinabant ad mutationes in melius proponendas, suspicati sunt fraudem in numerandis civibus qui suffragare potuerant; huius fraudis modum operandi investigare coeperunt; etenim electorum milia fere ducenta quinquaginta (PR 7) vel fortasse plura in regestis\* comitrialibus illegitime subscripta erant, adeo ut Unitas Popularis, cui quattuor ultimis comitiis suffragia minuerant, mense tamen Martio, suspecta causa, subito plura adipisceretur; indagatores enim academicci multos electores semel vel bis etiam ter in regesto, districtu\* comitiali mutato, se ascripsisse perspicue comperiunt: per facile esse fraudem fieri nam apud officiales, qui regestum gererent, electoris identitas non solum tesserā sed quibuslibet documentis probabatur, adeo ut multi electores tesseris identitatis falsis in regesto se ascripserint, quapropter pluries in variis electoralibus regionibus subscriptionem haberent et pluries ergo suffragare potuerint. Itaque Facultatis Juris decanus Jacobus (Jaime) del Valle, die 16 m. Julii, televisifice rem palam exposuit (PR 8); deinde in Camera Deputatorum Commissio Investigativa die 24 eiusdem mensis creata est, eo consilio ut delationem a decano Del Valle factam reviserent; sed quoniam Parliamentum, propter impetum militarem, dissolutum est, Commissio illa vestigare desinit; dieque 19 m. Nov. a. 1973 regesta comitilia irrita sunt declarata - exinde quidam postulant fraudis testimonia et esse deleta - nec cives se denuo ascribi potuerunt usque ad annum 1987, ubi nova lex comitialis dicta est (PR 9; PR 10; A. Pinochet, págs. 185-192).

**12.- Ictus cataphractarius\***. Mense Junio anni 1973 prima scintilla motūs militaris adversus Allendem oritur; exinde magnum postea factum est incendium; iuvenes enim officiarii qui in Regimento Secundo Cataphractario militabant, tam infanda omnium rerum incertitudine laesāque patria afficiebantur, ut iampridem quasi insanirent in seditiosum propositum incidissent; inter seque de agendo tumultu sermocinabantur atque si quis amicus regimentum adibat, aerumnas suas fidentes aperiebant; itaque ictus contra

Allendem in diem 29 m. Junii. indictus est; hoc propositum a Servitio\* Intellegentiae Militari comperitur, et deinceps ad Summum Generalem Exercitūs, qui tunc erat Carolus Prats, seditio delata est; pauci seditiosi in custodia arrepti; novusque Regimento missus praepositus, qui cum pervenisset coactus est a reliquis officiariis, ut eligeret utrum seditionis fieret particeps an illico post regimenti clatra includeretur; participem se esse elegit, seditio ergo perrexit ducente praeposito titulari, qui erat colonellus\* Rupertus Souper; is deinde cum octoginta militibus et cataphractis sedecim ad oppugnandam sedem praesidentialem, chiliometra vel tria distantem, iter per urbem aggreditur; in itinere cataphracti in quadriviis semaphoris\* oboediebant et unus ex his, qui egebat petroleo, antliam\* petivit acceptoque fomite conductor pecuniam numeratam pro pretio comiter dedit; hoc autem iter ac propositum sine ulla coordinatione cum aliis regimentis factum erat; cum in plateam p̄ae sede praesidentiali pervenissent non cataphractorum cannonibus sed automatis polybolis\* usi sunt et tela\* in Monetam<sup>10</sup> et in proximum Ministerium pro Re Defensionali eiecerunt, magna civium non opinatorium confusione.

Interea Allende, in domo privata certior de re factus, radiophonice allocutus est: seditiosam turbam armis surrexisse; parvam esse militum factiosorum manum, qui antiquam fidelitatem fefellissent; Secundum Regimentum Cataphractarium contra Monetam displosisse\*; praesidium praesidentiale seditiosis repugnavisse et Generalem Prats providenter egisse necessaria ad tumultum pacandum; se populum convocare ut industrias caperet, ne tamen sit immolatus; etiam ut ad vias ubique exirent, ne tamen telis sint laesi: prudenter ergo facerent omnisque generis instrumenta in promptu haberent; cum casus fit, arma populo datum iri (Documento, pág.369), seque Copiarum Gubernantium fidelitati confidere (PR 9).

Generalis autem Prats regimenta, quae urbe non longe aberant, citissimus visitavit contra tumultum postulaturus fidem, sed quidam milites arma se contra commilitones non esse suscepturos dixerunt, quibus Prats: hoc esse imperatum sibique imperanti statim

<sup>10</sup> Sedi praesidentiali La Moneda est nomen de more usitatum; sic appellatur quia olim -Hispanis imperantibus- ibi nummi cudebantur.

obtemperarent. Postea adiit ad plateam ubi seditiosi minantes permanebant; accessit ad proximum cataphractum ductorique poposcit ditionem et, paucis verbis invicem condictis, milites cataphractarii, exceptis paucis, Generali oboediunt; Rupertus vero Souper, qui suum cataphractum ducebat, introire in aedificium Ministerii pro Re Defensionali conatus est, quia ibi seditiosi, qui prius arrepti erant, custodiebantur ut apud iudicem proposita factaque declararent; itaque decrevit cum cataphracto introire ad reos liberandos; at huius aedificii fores magis amplae quam altae erant, adeo ut cataphractus limen superum collideret; immo, ob firmissimum liminis opus caementicum, ingredi non potuit; attamen quoqueversum tela emisit et deinde meridionalem urbis partem cum paucis cataphractis petivit; hora autem postmeridiana sexta, officiariis suis praepositis una cum asseclis se dedit; ictus igitur cataphractarius horam suam finivit.

Hora eius diei meridiana, Allende in Monetam pervenerat, ubi Prats indisciplinatos iam deditos receperat; eodem Augustus Pinochet cum Regimenti *Buin* peditatu adiuvandi causa advenerat; dein Allende apparuit in Monetae fenestra una cum Summis Generalibus Exercitūs et Classis et Aericlassis, quorum fidelitatem laudavit et peroravit contra seditiosos, etiam quinque cives, qui vitam amiserunt ob tela inter tumultum emissā, honestavit<sup>11</sup>; denique sectatores suos ad plateam prae Moneta convocavit ut sub vespere adessent.

Populus vespere, ut iussus erat, apud Monetam convenit ut pro gubernio ostenderent populare adiumentum, sed tamen pauciores opinione videbantur; nam eo die plurimi cives insurrectos milites collaudaverunt et postea doluerunt cum sentirent omnem motum ad nihil redactum esse; dieque crastino fabricae industriaeque ad 350 ab operariis captae sunt, Syndicati Unici Nationalis<sup>12</sup> iussu (CEP, vol.1, pág.734).

Denique Motus *Patria et Libertas* appellatus, qui Unitati Populari acriter adversabatur, tumultum cataphractarium fovit; huius Motūs

---

<sup>11</sup> Postea compertum est eo die cives militesque mortuos esse omnino 22, telis vulneratos 32, arreptosque 50 (Documento, p. 369).

<sup>12</sup> vulgo Central Única de Trabajadores.

praecipui participes, qui erant civiles, Legationem Aequatorianam petierunt et, syngrapho\* dato, in exsilium exierunt.

**13.- Allende duces militares ad gubernandum arcessit.** Allende, cum potestatem politicam retinere cuperet, machinatus est duces militares ad sese convocare, ut in actionibus gubernativis interessent, eosque ministros creavit; itaque Summus Generalis Exercitū Carolus Prats ab Allende nominatus est Minister Rerum Internarum\*, qui securitatem publicam curaret; qua de causa Augustus Pinochet Summus Generalis Vicarius in Exercitu nominatus est.

Attamen die 23 m. Aug. a. 1973 Summus Generalis Carolus Prats, quamvis Allendi esset obsequens, munere abdicavit et ilico Augustus Pinochet ab Allende titularis creatus est; Pinochet plures excogitaverat cur ipsum ab Allende Summum Generalem creatum esse, cum Allendi plures essent generales amici; Pinochet vero semper communistis adversatus erat; exinde Allende cottidie vocabat Augustum Pinochet ad suum scriptorium, cui explanabat Gubernii proposita et loquebatur de ditissimorum ab sese dissensione, de angoribus, de pauperibus, deque ceteris rebus publicis (A. Pinochet, pág. 114).

**14.- Edoardus Frei, olim Reipublicae Praeses, Allendi adversatur.** Apud ephemeriden c.t. "Times" Londiniensem, Edoardus Frei habitus est praestantissimus politicus in America Meridionali, ex quo comperitur quanta auctoritas internationalis ei fuerit, adeo ut non possimus dubitare quin apud Chilenses quoque cives magni ponderis eius opinio fuerit; Edoardo enim Frei certissimum erat Copias Nationales (scilicet Exercitum et Classem et Aerielassem) unice posse vitare ne Chilia altera fieret Cuba (PR 1).

Etenim die 6 m. Julii anni 1973 Edoardus Frei, tunc Senatūs Praeses, in scriptorio admisit praepositos Consociationis Industriis Fovendis<sup>13</sup>; qui dixerunt rempublicam paulatim deleri et, nisi actiones fierent opportunae, rempublicam a marxistica dominatione captum iri modo Cubano; quibus Edoardus Frei: neque se neque Parlamentum neque cives quicquam agere posse; dolendum ergo esse hanc crisin armis definitum iri, proinde se illis suadere ut Copiarum Nationalium

---

<sup>13</sup> vulgo Sociedad de Fomento Fabril.

Generalibus anxietates, quibus et ipse sollicitaretur, aperte ostenderent, utinam nunc ipsum. Consociationis praepositi ad Ministerium pro Re Defensionali continuo adierunt at ibi nullus Generalis eos audivit (R. Rivera).

Attamen Summi Generales aliique officiarii secreto excogitabant qua via, utinam incruenta, Gubernio Marxiano possint afferre finem.

### **III.- DE ICTU MILITARI (Sept.1973)**

**1.- In summo rerum discrimine.** Ubi conventum est ut Allende a munere amoveretur, magna cura de re ab officiariis agebatur valdeque caute coniurati mandata inter sese communicabant, adeo ut nemo sinistranorum, praesertim gubernio faventium, in suspicionem incideret; die autem dominico nono m. Sept. Pinochet anniversarium suae filiae celebrabat quapropter visitatores domum venerunt, quos inter hora theana, Generalis Gustavus Leigh, qui Aericlassi imperabat; hunc in scriptorium Pinochet duxit eo praetextu ut tabulam geographicam nuper emptam contemplaretur, sed re vera ut aperte is dicere posset quae biduo ante, aliis officiariis praesentibus, non ausus erat; Gustavus igitur Leigh postquam de pessimo Reipublicae statu opinatus est, dixit tres Copias Nationales una cum Carabinariis Gubernium marxianum posse deturbare, Coetumque Gubernativum statuere, cui Coetui Pinochet praepositus esset; interim duo gradu superiore classiarii domum venerunt, quos Lucia, uxor Pinochet, in scriptorium ubi ambo sermocinabantur duxit; hi officiarii - Carvajal et González (F. Varas, pág.130) - eos certiores fecerunt de scripto quod admiralis\* Thuribius Merinus, primae zonae nauticae praepositus, miserat; ibi de gravi Classis statu agebatur, nam plerique classiarii vix continebantur quin contra gubernium sumerent arma; praeterea is postulabat ut intra biduum, id est die 11 m. Sept., exercitus quoque arma sumeret. Id duabus de causis valde periculosem Pinochet exsistimabat, et quia bellum civile ab impetu militari orioretur si qui milites, quamvis pauci, cum ictu in Allendem non consentirent, et quia brevi tempore de ictu mandata difficile sibi communicanda erant; sed, rebus sic stantibus, Pinochet adductus est ut ictum militarem in diem undecimum indicaret; itaque denuo perfecto admirali scripto, Leigh signavit, item Pinochet signavit; classiarii igitur ictum impulerunt.

**2.- Augusti Pinochet alloquium apud officiarios generales.** Die 10 m. Sept. anni 1973 Pinochet mane visitavit Ministrum pro Re Defensionali, qui tunc erat Orlandus Letelier, cui nuntiavit milites in excubitoria urbana die crastino pro securitate publica servanda inclusos esse, sed paratos ad tumultus obruendos; senator enim socialisticus Carolus Altamiranus violenter - ut ei mos erat - contra Classem palam peroravisset et ad iudicium iussu Judicis Navalnis eo die esset ferendum, quapropter et in Jacobopoli et in vicinia tumultus pararentur.

Deinde Pinochet in sedem militarem reversus, telephonavit\* ad quinque generales sibi directe subordinatos, quos iussit ut ad meridiem venirent in scriptorium suum, quibus, postquam ictum secreto custodire iuraverant, haec verba fecit: rerum Chilensis statum et moralium et politicarum et oeconomicarum in infimum locum pervenisse, adeo ut nationalis securitas in summo periculo iam pridem deducta esset; itaque die crastino, undecimo mensis Septembris, exercitum sedem praesidentialem occupaturum atque ex ea Praesidem Allendem eiusque socios expulsum iri; attamen cum Allende e territorio nationali una cum familia incolumis vellet exire, aerinavem in promptu habuit; sin autem armis Allende et socii restiterint, ut possibile videretur, omnibus opibus se acriter dimicatuos; ipse vero si interficeretur, maioris gradus officiarius imperium assumeret, quo etiam mortuo, subsequens assumeret, et ita porro; milites Chilenses non posse nec enervari nec officium fallere; aleam esse iactam, seque suas vitas Patriae iam a tironibus obtulisse. Denique nuntiatum est Carabinarios ad impetum militarem eo die se adiunxisse, quem nuntium Pinochet ceterique officiarii optimo animo exaudierunt (A. Pinochet, pág. 126).

**3.- Apud Monetam et passim in urbe pugnatur.** Die 11 m. Sept. Praeses Allende in sedem praesidentialem multo mane pervenerat, nam motūs rari et inassueti circum agebantur; immo: carabinarii carris cataphractis totam Monetam circumvenerant; at nemini tunc erat compertum utrum isti cataphracti sedem praesidentialem protegerent an essent oppugnaturi; hora autem octava et dimidia per stationes radiophonicas Carmen Nationale atque declaratio

Summorum Quattuor Generalium audita est; ex ea nuntiabatur rem publicam a Coetu Militari assumptam esse, quia Natio ob gubernium marxianum in gravem crisin esset adducta, atque in bellum civile, quod extremistae parabant; idcirco Praesidem nunc esse coactum ut munus suum ad Coetum transferret. Tunc Allende admiralem Carvajal telephonice vocavit et monuit ut Summi Generales in Monetam venirent deque ditione coram se loquerentur; cui Carvajal: si in ditionem se vellet recipi eat ipse in Ministerium pro Re Defensionali apud Summos Generales, qui vero decrevissent ditionem sine ulla condicione, praeter vitam servandam et aeroplanum\* ut e Chilia exiret. Allende admiratio Carvajal contumeliose respondit.

Continuo Leigh, annuente Pinochet, iussit Monetam bombardari\*, sed comperto intus adhuc esse mulieres, aliqua minuta dilationis dantur; et cum nulli milites carabinariique iam intus erant, aerinaves Falcons Venatores vocitatae missilia in Monetam collineata\*, etiam per fenestras, adamussim eiciunt; fit illico incendium, cuius photographema, a diurnario captum, per orbem celeriter volitat.

Inter pugnam et missilia et sclopetorum displosiones, Edoardus Frei ad sedem militarem telephonice vocavit: "mei si indigetis, ero in hoc telephono" deditque numerum; hora post denuo telephonavit: "in alterum locum nunc transeo, si mei indigetis ero in hoc numero". Pinochet ubi de re certior factus est iussit ei gratias agere et dicere eius auxilio se non indigere (A. Pinochet de Edoardo Frei non nominatim loquitur, sed eum nuncupat XX; pág.143); videtur Edoardum Frei credidisse gubernium sibi a militibus traditum iri.

In Ministerium pro Re Defensionali officiarii gradu superiore adiuvandi causa convenerant, quorum aliqui opinati sunt de Allende: oportere in Chilia permaneret, nam foras si exiret, quocumque iret Coetui auctoritatem dignitatemque totis viribus laederet. Quibus Pinochet: promissa omnino servanda esse, si exire vellet, exiret. Allende tamen in Moneta permansit et decrevit se nullo pacto esse dediturum; immo, ei erat polybolum automatum a Fidele Castro quondam donatum, et satellites suos, qui eum fideliter custodiebant, monuit ut vitam, nisi aliter exitus sibi pateret, eodem polybolo finiturus esset, antequam vivus caperetur. Huius suicidium cives Chilenses plerumque vel modice probant vel honestant summopere,

neque defuerunt qui falso nuntiabant Allendem a militibus sclopetatum\* esse.

Etiam in vicinia non longe a Moneta exercitus petitur a paramilitaribus\*, qui de tectis circumdatis displodunt; helicoptera militaria in eos tela polybolis immittunt et omnes sese dant fugae; praeterea ad Pinochet refertur omnia mandata in omnibus regionibus accurate esse confecta et paramilitares, qui repugnabant, paulatim recessisse, neque tamen utrimque defuisse mortuos et vulneratos. Paucis post diebus Copiae Nationales totius territorii potiuntur imperio.

**4.- Coetus militaris constituitur.** Eodem die undecimo vespere in sollemni caerimonia, in Schola Militari habita, Carmen nationale auditum est, deinde Quattuor Summi Generales singillatim verba fecerunt, scilicet Pinochet et Merinus et Leigh et Mendoza; deinceps legitur edictum ex quo Coetus Militaris constituitur et Nationis potentatum assumit, eo patriotico consilio ut Chilensium characterem historiā innixum et iustitiam et institutiones effractas reficerent; Augustus Pinochet Coetui datur Praeses; insuper Coetus declarat tribunalium potestates in posterum vigentes mansuras esse, quae efficaciter exercentur, dum ex recenti rerum statu possint perfici. Singuli Generales iuramentum ritualiter fecerunt. Haec omnia televisifice provulgantur.

Gubernium Brasilianum, etiam in manibus militaribus, Gubernium Chilense eodem die 11 validum agnovit; sic allocutus est legatus in Chilia Brasilianus, dominus Câmara Canto. Die crastino, quattuordecim Ministri Statales nominantur, scilicet undecim militares, tres civiles, qui continuo in munera sua incumbunt.

Die 15 m. Sept. Examinator<sup>14</sup> Generalis Reipublicae Coetum Gubernativum visitavit; occasione dada, sermocinati sunt de legibus deque edictis sive decretis necessariis ad Rempublicam gubernandam.

**5.- Precatio Te Deum die 18 m. Sept. habita.** Eo die, quo Patria Independentia quotannis commemoratur, precatio *Te Deum* in ecclesia cathedrali de more agitur, ibique adsunt Reipublicae Praeses et Ministri et praecipui officiales et parliamentarii et populus; hoc autem

---

<sup>14</sup> vulgo Contralor.

anno Cardinalis Ecclesiae Catholicae praepositus, noluit ut in cathedrali precarentur sed in alio templo, Gratitudini Nationali dicato; ibi convenerunt qui olim fuerant Reipublicae Praesides, scilicet Gabriel González et Georgius Alessandri et Edoardus Frei; is apud templum, rogatus a diurnario, dixit: se una cum ecclesiasticis et sacerdotibus pro patria rogatum venisse. Gabriel vero González: sibi apta verba deesse ut Copiis Nationalibus gratias ageret, quia a ferrea Marxiana manu eos liberavisset; dein interrogatus quid de Chilia speraret, respondit: se optima sperare quia salutem vitamque democraticam recuperavissent; deletumque esse apparatum Statalem, quo demum deleri patriam sinistrani machinarentur. Georgius autem Alessandri, aperte commotus: se non locuturum esse, se unice ad precandum pro patria venisse. Etiam adfuerunt et Tribunalis Supremi Praeses et Examinator Generalis Reipublicae et Universitatis Chilensis Rector et congregationum religiosarum abbates et frequens populus. Precatione acta, González et Alessandri ad Coetum Gubernativum appropinquarent ut singulos Generales salutarent; Frei vero festinanter e templo exivit; postea tamen, per officiarium Edoardi Frei amicum, comperitur eum se offensum putari, quia de Parlamenti clausura non factus sit prius certior, et quia autoraeda, qua ut Senatūs Praeses uteretur, ab eo haud opinato ablata esset.

Paucis post diebus quattuor Coetus Generales Tribunal Supremum visitarunt; ibi Tribunalis Praeses, Henricus Urrutia, ad fores eos recepit, quos deinde comitatus est in cellam Tribunalis plenariam; ibi alii iudices aderant; tunc Tribunal Praeses haec verba fecit: "hoc Tribunal Supremum, cuius praesidiatum mihi est honori, vos beneplacito et fiducia visitantes accipit, nam vestrum Gubernium sententiis judicialibus obtemperabit, ut ab initio publice dixistis; noster ordo iuridicus, ut nuper dixeram, in summo discrimine versabatur, nam e democratia potest oriri hoc periculum, ut gubernantes in exercendis potestatibus leges simulate oboediant, et idcirco ab iusta regendi ratione aberrent".

Augustus Pinochet ita respondit: "Excellentissime Domine Praeses, excellentissimi huius Tribunalis Judices: Coetus cui praesideo ad hanc sollemnem aulam venit eo consilio ut observantiae pro iure et iustitia testimonium afferamus; nec possumus nunc neglegere opportunam monitionem, quam hoc Tribunal de effracto ordine iuridico omnibus

civibus iam pridem fecerat; itaque vobis gratias agimus quod nostram operam patriotico animo aestimatis". Die 24 m. Sept. a. 1973 Coetus Gubernativus proposuit novam Constitutionem Politicam redigendam a Commissione, cui praepositus est Henricus Ortúzar, advocatus et iuris professor. Commissio mense Oct. anni 1978 textum integrum Coetui publice praebuit, de quo multi academici opinati sunt. Praeterea creatur Consilium Statale, ita ut membra eius de Constitutione a Coetu rogata iudicium facerent, antequam plebiscitu approbaretur.

**6.- Edoardus Frei litteras ad Marianum Rumor misit.** Die 8 m. Nov. anni 1973, Frei ad Marianum Rumor, tunc Praesidem Democratiae Christianae Mundanum, litteras missit in quibus ea, quae in Chilia vere acciderunt, singillatim descriptsit; e longa autem epistula arbitratu meo excerpti haec:

- a) Unitas Popularis harum rerum sola fuit responsalis\*;
- b) Hoc regimen politicum [sc. sinistrorum] semper fuit minoritarium; in comitiis vero parlamentariis, mense Martio anni 1973 celebratis, quamvis omni Statali potestate opibusque candidati usi sint, tantum 43 centesimas (43%) obtinuerunt;
- c) Insuper postea comperta est fraus suffragiorum fere parte vicesima (5%), nam publica servitia schedularum identitatis\* multa milia adulteraverunt pro falsis electoribus; d) Politici gubernativi dolose adversantes ignoraverunt, nec consensum cum reliquis factionibus, ut debuissent, quaesiverunt; immo, sistema Marxianum Leninianum implacabili modo in civitatem imponere conati sunt;
- e) Legibus oboedientiam simulabant ut sua proposita perficerent et, tribunalibus neglectis, leges aperte violabant;
- f) Cum in syndicatis vel organizationibus iam scholaribus iam agricolis electionem perdidissent, eventum ignorabant et simul creabant alteram organizationem parallelam, quae gubernio esset addicta, quamque opibus fovebant; illam vero, quae legitime vicerat, omnino intercludebant;
- g) Etiam proposuerunt atque loco Parlamenti contionem popularem haberi atque tribunalia popularia creare, quorum aliquas querelas nuper audiverant, ut suo tempore denuntiatum est;

- h) Educationem reformare intenderunt ut discipuli doctrina marxiana imbuerentur;
- i) Reipublicae Praeses declarabat se Constitutionem et leges et democratiam colere, sed postea facta non erant consentanea cum declarationibus; promissa igitur violavit, resque factaque negabant quae Praeses affirmaverat;
- k) Tupamarenses<sup>15</sup> ex Uruguaia et extremistae ex Brasilia, Bolivia, Venetiolaque Gubernio obsequente, Chiliam petierunt; hi plerique in suis nationibus gravissima delicta iam commiserant;
- l) Factio Democratica Christiana pluries denuntiavit multa arma ignifera, Gubernio obsequente, in Chiliam importata esse; agitur de armis ex Russia vel Chequia introductis, quae Exercitus Chilensis eo tempore sibi comparare non potuisset; ista arma tanta erant ut alter exercitus aequipollens institutus fuisse; praeterea quae Factio DC denuntiaverat, haec esse vera, post diem 11 m. Sept., computum est (E. Frei, *Carta*).

**7.- De re oeconomica sub regimine militari.** Quoniam oeconomia Chilensis a Gubernio marxiano paene erat deleta, coetus gubernativus statim ut rempublicam adeptus est oeconomistas praestantissimos vocavit ut incrementum oeconomicum denuo redintegraretur, opus quidem non facile, nam rerum status et personarum indigentia vere miserandae erant, adeo ut civibus necnon mulieribus et pueris fames in prospectu imminens videretur; ipse Praeses Allende die 8 m. Sept. a. 1973 dixerat: “farinam in tres dies vix suppeditare” (E. Frei, *Carta*); panis igitur defuturus erat. Oeconomistas, cum de aerario publico certiores facti essent, subitus stupor percussit; credebant enim 150 millones dollariorum in fisco inesse, e contra comperierunt 400 millones defieri, nam erant expensi ultra praesuppositum\*; detrimentum vero oeconomicum, quod ex Unitate Populari prorepserat, tale erat ut remedia ab oeconomistis proposita fierent necessario durissima et haud expedita prae temporibus; immo, Coetui ob rem oeconomicam querelae, dubitationes, pravaque praesagia a multis saepe exponebantur; oeconomistae vero hoc praesertim excogitabant, quod rerum venalium pretia, quae inter Unitatem

---

<sup>15</sup> Hisp. Tupamaros, Del Col.

Popularem fixa manebant, nunc oportebat liberare ita ut a mercatu moderarentur; etenim gubernium sinistranum fixerat pretia, eo consilio ut suas potestates in mercatores et consumptores exerceret, quod quidem oeconomiam constringebat et incrementum oeconomicum impediebat; exinde indigentia et paupertas augebantur. In disputando de hac re duae theoriae inter se partim contrariae collidebant: et theoria eorum, qui politica mente erant imbuti, et eorum, qui scientia et technica erant innixi; utriusque argumenta exponebant apud Pinochet et reliquos generales, proponebantque consilia et actiones; Pinochet, cum unam theoriam audivisset, illico ex altera parte audiebat argumenta; oeconomistae vero, qui ex conspectu technico opinabantur, proponebant pretia statim liberanda esse ita ut sine statali interventu mercatores et consumptores possent vendere et emere; attamen ex hac libertate cito res venales maiore pretio fore praevidebantur; gubernium enim marxianum pretia deminuta fixerat, quia politici sinistrani sine respectu rerum oeconomicarum victum et cottidiana bona venalia perperam regebant; etenim quoniam in mercatu longo tempore se intromiserant, ea ergo pretia, quae sine respectu oeconomiae, antea depressoerant et ficta fiebant, ea nunc magno incremento resurgebant.

Ii vero, qui sensu politico excogitabant, in liberandis pretiis paulatim progredi malebant ne pauperes, ob auctissimum subitumque pretium, difficilem haberent victum; ii tandem vicerunt, qui mutationes subito agendas esse postulabant, nam res adeo male se habebant ut oeconomica calamitas inveterasceret nisi subito res fieret: "cauda cani uno ictu secunda est", ut dixit Admiralius Gotuzzo, Minister pro Aerario Publico (A. Fontaine, pág.62); itaque Chilenses praesertim pauperes vitam durissimam ad tempus degerunt (A. Fontaine, pág.108); quae enim antea in coetibus municipalibus ficto pretio sed vili, ea pretio libero sed pluris exinde in mercatu emebantur, et nisi pecunia satis esset tibi, non posses comparare<sup>16</sup>.

**8.- De Generalis Leigh expulsione.** Die 24 m. Julii a. 1978 Gustavus Leigh, qui Aericlassi praeerat, a reliquis tribus Generalibus e Coetu expulsus est. Quae erant causae? Opiniones quas Generalis Leigh et

<sup>16</sup> Anno 1993 quidam oeconomista opinatus est verum dilemma non fuisse aut paulatim aut statim progredi, sed agere aut non agere, quae tunc essent agenda, et quamvis statim agere conati sunt, re vera non statim actum esse (H. Büchi, pág.41 et seq., praesertim pág.44).

privatum vulgaverat et palam in diario Italico c.t. Nuntius Vespertinus<sup>17</sup>; ibi dixerat fundamenta novarum institutionum politicarum cito excogitanda esse atque iter ad ea fundamenta sine mora esse percurrentum. Praeterea opinatus est homicidium Orlandi Letelier, olim Ministri pro Re Defensionali - qui in Septentrioamerica, immo, in ipsa Vasintonia, interfactus erat - gravissimum esse, neque se posse credere tres Generales eius rei conscos fuisse, atque si vere fuissent, suum animum in Coetu participandi revisendum esse (PR 10). Hoc maxime, ut videtur, tres Generales aegre tulerunt et in Generalis Leigh expulsionem concordarunt; re vera inter Gustavum Leigh et Augustum Pinochet variis de causis discrepantia iam pridem orta erat.

Quae sequuntur e libro a diurnaria de Generale Leigh scripto, excerpti, quo fidelius eius opiniones transferrem. Diurnaria autem, quae est Florentia Varas, Generalem varias res rogat; utriusque et quaestiones et responsa infra leguntur summatim:

*Diurnaria: Quid de erroribus a Gubernio Militari commissis?*

*Generalis Leigh: Classis media\** a Coetu Militari derelicta est, necnon operarii, qui onus laborandi sustinent; nunc oeconomistae politicis praevalent, sed contra esse debuerit. Mense Augusto anni 1974, quidam syndicalistae apud Pinochet questi sunt de Chilensium ergodotarum\* duritia et indolentia erga operarios. Oportet voluntatem erga operarios esse gratiorem, nam marxistae si nostram Nationem tres annos regere potuerunt, id fuit quia ansa a nobis eis dedita est; proinde quo citius in democratiam sine communistis revertamur, opus est bona voluntate atque rationibus numerisque translucidis inter operarios et ergodotas aperte sermocinari. Porro libertas oeconomica in libidinem oeconomicam mutatur, lucrumque omnibus rebus nunc praevalet et mercedes ab operariis acceptae sine necessario augmento iam pridem permanent.

*Diurnaria: Nunc Chilia videtur esse amplius portus liber qui nos tenet plenos mercium exterarum; nonne hoc detrimentum industrialibus domesticis affert?*

*Generalis Leigh: De his rebus nullum dubium est mihi: ego liberum mercatum foveo, sed discrepo ab opportunitate ac methodo qua in*

---

<sup>17</sup> Corriere della Sera

Chilia studetur mercatum liberum instituere, nam ex subito incremento pretiorum multa detrimenta pauperibus proveniunt; insuper telonario\* vectigali imminuto, omne genus mercedum importatarum abundat, quae industrialibus fabricatoribusque domesticis nocent; quibus industrialibus tempus vix suppeditat, ut aperto liberoque mercatui se adaequent cum detrimentum ab Unitate Populari iam diu toleraverant; nostri autem technocratae [qui sunt oeconomistae] sese gerunt ut pulli elephantini inter vasa crystallina ludentes.

*Diurnaria:* Ut de iuribus humanis loquamur, quomodo interrogations fiunt in Chilia?

*Generalis Leigh:* Quod attinet ad homines bello captis, valet apud nos Pactum Geneviense.

*Diurnaria:* Attamen, Generalis, Ecclesiae Catholicae Vicaria Solidarietatis refert abusūs ab iis commissos, qui intelligentiae militari dant operam et qui Pacti Geneviensis omnino obliviscuntur; hic est mihi relatus anno 1974 editus, quo describuntur cruciatūs in Academia Aeria usuales, vel simulatae sclopetationes vel stercorum sorbitiones violentae vel ictus electrici vel violationes et alia horribilia quam ut narrentur; quid de hoc relatu opinaris?

*Generalis Leigh:* Da mihi veniam, Florentia, ut ego te vicissim interrogem: cur iste terrificus relatus, quem legisti accusantem aericlassarios, numquam ad manus meas suo tempore pervenerit? Tu credis sincere vera omnia, quae ibi denuntiantur? Numquam meditata es de armis efficacissimis, quibus extremistae et marxiani uti possint, ut corpora internationalia contra nos commoveant cum potestatem recuperare intendunt? Naturaliter impellimur ad ea credenda, quae marxiani Sovietici dicunt cum pro "Juribus Humanis" verba faciunt, at cum Saigoniese vel Cambodianum genocidium audivimus tunc commodum in soporem cadimus, item cum nos certiores fimus de fugitivis atque errantibus, qui per orbem vagantur, quod a russatis fugerunt, tunc silemus; quid de Judaeis persecutionem passis, de politicis in carcere inclusis in Unione Sovietica atque in Cuba? Facili et vili systemate in Chiliam utuntur ut nostram deleant honestatem: usi sunt calumniā; aliqui aericlassarii ob delicta leviora ad iudicium vocavimus cum auctoritatis abusum comprobavimus; cur tandem istas excruciatorum universitates instituere curavissemus? Stultum esset

negare quasdam intemperantias a nostris commissas, sed quae describuntur in relatu abs te lecto, sunt Inquisitioni Mediaevali consentanea vel iis quae nuper ultra Cortinam Ferream acciderunt; pauci nunc memorant aericlassarios qui apud Tribunal Militare gravium delictorum damnati sunt, etiam perduellionis; id iudicium fuit apertum et palam diurnariis domesticis et advenis; condemnati in carcere publico inclusi fuerunt et postea foras e nostro territorio expulsi. Eo tempore curabam nihil secreto agendum; totam meam vitam postulavi statum iuridicum servandum esse; ob istas demum conspicuas statūs iuridici violationes decrevi contra Unitatis Popularis agere gubernium; quapropter ego ut Summus Generalis Aericlassis et Coetus particeps semper curavi ut leges imprimis servarentur.

*Diurnaria: Quid censes de Generale Pinochet?*

*Generalis Leigh:* Vir animo benevolo et bene inspiratus, exiguo sensu politico; puto ex Coetu Militari nemini hunc sensum esse, nec mihi ipsi; praeterea principia atque proposita, quae die 11 sept. optime in Coetu vigebant, temporis transcursu enervari coeperunt.

*Diurnaria:* Nonne est sensus politicus in illo qui se liberavit ab iis qui ei erant molesti?

*Generalis Leigh:* Puto non oportere sollertia haberi politicam cum unice per vim gubernas; ubi una voluntas agendi praevalat, ibi non est necessaria ars gubernandi; etenim potestas similis est drogae\* qua homines transmutentur atque deformentur.

*Diurnaria: Quid censes de Chilia?*

*Generalis Leigh:* Provincias non visitavi, sed in urbe Jacobopoli video et sentio esse multis acrem anxietatem, quae mihi est curae, quia discidium sociale, si quod olim fuit, id pessimum omnibus erit Chilensisbus; quis enim certo scit marxismum non reversurum esse cum omnibus suis sequelis?

**9.- Institutum Hemisphaericum Occidentale pro Securitate Consociata** (PR 11). Hoc Institutum conditum est anno 1946, eiusque sedes prope Canalem Panamensem, cui nomen indictum est Centrum Latinoamericanis Exercendis; postea anno 2001 denuo nominaverunt Anglice Western Hemisphere Institute for Security Cooperation; munus eius praecipuum est cooperationem machinari inter Nationes Latinoamericanas ut una cum Statibus Unitis aequilibrium habeatur

politicum, ne ideologia marxiana praevaleat; exinde motus sinistrani in America oportebat coerceri; discipulorum autem supra sexaginta milia ab condito Instituto ex viginti tribus nationibus diploma vel titulum acceperunt; ibi sermone Hispanico professores et discipuli utuntur; hi quoque doctrinam Securitatis Nationalis Septentrio-americanam docent; etiam dicitur ibi cruciandi et interficiendi et coercendi methodus provulgari; interrogandi autem methodus optima est formido: minae cruciatu potiores; secundum Vicipaediam milites Chilenses ibi discipuli fuerunt, at non facile ea seponuntur, quae milites sponte ac motu proprio ab iis, quae ex Instituti doctrina disciplinave in refrenandis extremistis egerunt; nunc de uno casu gravissimo narramus, qui politicos gravesque effectus impulit; tres Factionis Communisticae professores, quorum nomina J.M.Parada et M.Guerrero et S.Nattino, die 30 m. Martii a.1985 iugulati sunt a Carabinariis, qui in turma clandestina militabant; quod crimen unanime repudiatum est et quamvis Generalis Mendoza, qui Corpori Carabiniorum regulariter praeyerat, nihil de re sciverit, tamen ob publicas vituperationes se munere abdicare debuit.

**10.- Augustus Pinochet in insidias cadit.** Attamen neque sinistrani neque Factio Communistica sese domo tenebant; itaque die 7 m. Sept. an. 1986 Grex Patrioticus "Emmanuelis Rodríguez"<sup>18</sup> nominatus, Generali Pinochet prope fluvium *Maipo* (qui est verus torrens) insidias paraverunt; sciebant enim Pinochet per fines hebdomadales quiescendi causa in villam rusticam adire solere, et cum in urbem fere 40 chiliometra distantem rediret, insidiati sunt, locumque idoneum in itinere selegerunt, ubi via inter collem et abruptum transit, quo facilis autoraedas, quibus Pinochet eiusque satellites vehebantur, intercludi etiam ruchetobolis\* usi sunt; milites vero qui Pinochet custodiebant mortui sunt quinque, vulnerati undecim; paulo post, iam noctu, nam impetus hora sexta et dimidia postmeridiana perpetratus erat, viri quattuor - diurnarius J.Carrasco et artifex G.Vidaurrázaga et A. Muskatblit et electricista Ph.Rivera - a militibus, qui erant Centralis Nationalis Intelligentiae participes, interficti sunt; Pinochet tamen fere incolumis, praeter levissimum vulnus in laeva, discessit una cum

---

<sup>18</sup> vulgo: Frente Patriótico Manuel Rodríguez.

nepote suo, Ruderico García, puerο decem annorum, qui eadem autoraeda vehebatur.

#### **IV.- DE REDITU IN DEMOCRATIAM**

**1.- Constitutio Politica anno 1980 plebiscitu approbatur.** Ad theoriam, duo omnino gubernandi regima possunt describi: alterum, quod potestates tradit in unum, quem solet vocari praeses, cui sunt assessores vel ministri vel etiam parlamentum democratice electum, et regimen praesidentialē vocatur; et alterum, quod in parlamento potestates ponit, quae a magistratibus singularibus sub parlamenti auctoritate exercentur, nempe regimen parliamentarium; utrumque regimen potest vocari democraticum, dum cives opiniones suas suffragio et temporis intervallis proferre possint, vel etiam per instrumenta communicationis socialis cum de rebus publicis tractare velint; Constitutiones vero Chilenses duae praecipuae ab anno 1833 (usque ad 1891) et ab anno 1925 (usque ad 1980 sed partim derogata) rempublicam rexerant, quae ex historica traditione regimen praesidentialē statuerunt; attamen, quoniam motus politicos et armatos Factio Socialistica ab anno 1967 fovebat ad potentatum obtinendum, plerique, qui talia proposita actionesque cognoverant, proposuerunt sistema democraticum protegendum esse ab iis, qui dabant operam ne democratia praevaleret; ergo quaerenda erat democratia *protecta*, eo consilio ut contra eversores, qui democratiam nolebant et potentatum sibi quaerebant, murus - ut ita dicam - defensorius haberi possit (Leigh autem democratiam *sine cognomine* quondam postulaverat). Constitutio autem Politica, quae die 11 m. Septembris anni 1980 plebiscitu approbata est, instituit regimen fortiter praesidentialē ne iterum democratia deleretur, sed facultates ad democratiam protegendam adeo erant amplissimae, ut Constitutio parum democratica multis videretur; Praeses nimias potestates in manu tenebat, qui Praeses fuit ab initio Augustus Pinochet, ab ipsa Constitutione nominatim creatus ut munus exerceret octo annos usque ad annum 1988; praeterea Pinochet non erat unus qui democratiam protectam quaerebat; duo enim viri e Consilio Statali idem censebant: quae oeconomico politicoque progressui impetum totalitarium minitarentur, ea provenire ab ideologia Marxiana, quae

tunc temporis nationes occidentales penetravisset, quarum systemata politica debilitata non valere ut istam penetrationem intercluderent, eoque magis quod perspicuum esse marxistas magnopere custodire democratiam in omni natione, quae sub ipsorum potestate nondum ceciderit (C.F. Cáceres et P. Ibáñez O., pág.151). Quapropter in primigenio textu constitutionali - anni 1980 - cautum erat illicitum esse verbis vel actibus doctrinas adversus familiam provulgare sive violentiam propugnare sive Statum totalitarium commendare sive classium pugnam fovere; item factiones politicae quae ista promoveant inconstitutionales haberentur; e contra, Allende anno 1971 Praesidente, Constitutionem tunc vigentem mutaverant ut statueretur nullum delictum vel abusus haberi in qualibet doctrina politica fovenda ac provulganda (lex 17.398 dicta die 9 m. Jan. anni 1971).

**2.- Iter ad democratiam.** Jam vero ut transitus ad democratiam fieret, ab anno 1980 iter constitutionale praevisum erat; ipsa Constitutio praeviderat regimen gubernandi transitorium, eo consilio ut sistema politicum ad plenam democratiam sive politicam libertatem paulatim pergeret; attamen non facile fuit illum tramitem perlustrare; itinerarium sic erat praestitutum:

- die 30 mensis Augusti anni 1988, Coetus Gubernativus - ut in Constitutione iussus erat - ad populum proposuit candidatum, qui octo sequentes annos praesidiatum exercebat; populus autem plebiscitu posset candidatum aut approbare aut reprobare; quis propositus est a Coetu? Augustus nempe Pinochet;
- die 5 mensis Octobris anni 1988 cives plebiscitu Pinochet plerique reppulerunt [56 centesimae (56%)]; exinde, ut casu repulsae praevisum erat, oportebat comitia praesidentialia intra annum convocare aperta, scilicet ut quisquis posset postulare; ceterum comitia parliamentaria ex Constitutione eodem die habitura essent; victo igitur aut triumphante Pinochet, Parlamentum electum omnimodo haberetur;
- die 30 mensis Julii anni 1989 54 mutationes Constitutioni plebiscitu insertae sunt, eo consilio ut transitus ad democratiam fieret expeditus et satis democraticus; mutationes autem gubernium et politici adversantes inter se concordarunt; Carolus Franciscus Cáceres,

annuente Pinochet, et Patricius Aylwin, pro adversantibus, huius concordiae praecipui promotores fuerunt;

- die 14 mensis Decembris anni 1989 comitia praesidentialia celebrata sunt, ubi victor discessit Patricius Aylwin, democrat christianus, qui praesidiatum exercebat quattuor annos et, ut iam prius praevisum erat in Constitutione, comitia quoque parliamentaria eodem die habita sunt; itaque 120 deputati et 38 senatores a civibus sunt electi; praeterea - ut Constitutio iuverat - diebus praeviis novem senatores supernumerarii<sup>19</sup> quoque eliguntur: tres a Tribunal Supremo, ac quattuor Generales - sc. Exercitus et Classis et Aericlassis et Scopetorum Corporis - a Consilio Securitatis Nationalis, ac duo a Praeside Reipublicae, nempe a Pinochet;

- die 11 mensis Martii anni 1990 Pinochet in solemni caerimonia prima hora postmeridiana Patricio Aylwin, apud Parliamentarios, praesidiatum tradidit; eodem die mane legatus Septentrioamericanus, Dan Quayle, in domum Pinochet privatam adiit gratulatum ob transitum pacificum in democratiam (P. Arancibia, pag.13); in Parlamento autem eiusque vicinia aliqui contumeliose in Pinochet sese gesserunt, sed actus civicus ritualiter et in modum praestitutum perrexit.

**3.- Commissio Rettig.** Novo Praesidi multa erant agenda, sed imprimis oportuit vestigare delicta quae a Centrali Nationali Intellegentiae - sc. a militibus ibi adscriptis - commissa erant, vel cruciatus cum sequela mortis vel arrepti sive capti, qui postea nusquam comperti erant (*arrepti-incomperti* nominati), vel sclopetatione necati; ad hanc rem die 25 m. Aprilis anni 1990 Commissionem creavit, cui Radulphum<sup>20</sup> Rettig, advocatum illustrem et politicum, praeposuit, ut vestigaret a die undecimo mensis Septembris anni 1973, neque ullo pacto ante hunc diem; vestigatio autem usque ad diem undecimum mensis Martii anni 1990 perduceretur; huic Commissioni munera fuerunt veritatis patefactio et reconciliatio inter cives et propositio compensationum, quae victimarum\* viduis filiisque ab Statu Chilensi ex lege deberentur; haec

---

<sup>19</sup> sive ascripticii.

<sup>20</sup> Hisp. Raúl.

fuerunt pensiones menstruae per totam vitam atque beneficia pro valetudine et pro filiorum institutione<sup>21</sup>; victimae autem fuerunt supra duo milia plurimique in Gubernii Militaris primo biennio; praeterea gravia facta, quae ex Commissionis Rettig relatu crimina habebantur, ad tribunalia delata sunt, sed de nulla tamen persona Commissio iudicandi facultatem habuit.

**4.- De exoneratis politicis.** Coetus Militaris, cum potestatem anno 1973 accepisset, officiales multos, qui pro Unitate Populari vehementer steterant, a muneribus expulit; uno anno exonerata sunt 96 milia officialium (A. Fontaine, p. 112), et quia adversus Gubernium Militare dein agere possint, et quia pecunia ad solvendas eorum mercedes necessaria, numerosa erat quam ut exiguum, vel potius vacuum aerarium fiscale ab gubernio socialista relictum; politici vero praesertim sinistrani, cum democratia anno 1990 redintegraretur, a Praeside Aylwin pro exoneratis ob damna iam pridem facta compensationes postularunt; Praeses Parlamentum legem rogavit, qua exoneratis tria beneficiorum genera tribuebantur: et dierum annorumve fictorum **additio** ad implendum tempus necessarium ut meliora iura praevisionalia haberent, et **pactiones extra iudicium** cum procuratoribus fiscalibus ut certis sub condicionibus auctas pensiones ex cuiusque pactione acciperent, et **pensiones gratiis** ab fisco Statali sub aliis condicionibus datae<sup>22</sup>; sed quoniam exonerati haec beneficia haud difficile adirent, nonnulli, qui condiciones non adimplebant, pensiones immerito vel fraude adepti sunt, quorum Examinator Generalis ad tria milia ob documenta falsa revelavit (PR 12).

**5.- Commissio Valech** (PR 13). Praeses Richardus Lagos (2000-2006) inter alia proposuit vestigare gravia delicta inter Gubernium Militare ob causas politicas commissa in eos et qui cruciatum passi sunt, iis exceptis, qui in Commissione Rettig nominabantur, et qui in carcerem absque iudicio inclusi fuerunt; ad hanc rem alteram Commissionem creavit, cui Episcopum Catholicum Sergium Valech praeposuit; Commissio testimoniorum supra 35 milia exaudivit et fere 28 milia

---

<sup>21</sup> Ley 19123 de 08-FEB-1992.

<sup>22</sup> Ley 19234 de 12-AGO-1993.

vera putata sunt, quibus victimis quoque compensationes ex lege indictae sunt<sup>23</sup>.

Etenim cum Allende cecidisset, doctrinam communisticam in plerisque Nationibus retrocessit (murus Berolinensis deletus, Unio Sovietica dirupta); Chilia enim a communistis capta, praecipua sedes facta esset ut communistae hanc regionem facile potuissent dominare; exinde patere violentam reactionem communistarum, qui Chilium putaverant pro comunismo magni momenti in America futuram esse. Omnes ergo Sinistrani merito oderunt regimen militare et quia Allendem eiusque doctrinam marxisticam milites deturbarunt et quia activistae necnon extremistae, qui contra gubernium militarem postea egissent, in saevis interrogatorum manibus ceciderunt.

**6.- De abusu contra humiliores.** Cruciatus est quidem abusus maximus in eum, qui se defendere non potest, maximaque crudelitas habetur cum ex cruciatu mors sequitur; antiquitus servi quicquid erat patiebantur, etiam crucem ob gravem delictum vel interdum ob mutabilem domini voluntatem, qui dominus nemini rationes reddebat; interrogatio per cruciatum dupli vitio afficitur: et quod dignitatem humanam negat et quod interrogatus falsa fictave posset declarare ne supplicium perget; sed est etiam abusus quodam modo incruentus in cives humiliores, qui non satis praesidium habent; exinde comperitur totam generis humani historiam homines potentatum adipisci conatos esse, ne sub alterius sint dizione neve abusum paterentur; ii quoque, qui satis diu abusum passi sunt, cum postea, mutatis rebus, potentatum adipiscuntur, suae anteactae vitae immemores in reliquos quoque abusum exercent; cruentus enim impulsus abutendi a ferarum moribus evenit, a quo multi se liberare nondum potuerunt; ii enim, qui intelligentiae militari dant operam minime possint interrogandi munus exercere, nisi psychologus interdum statum eorum mentalem inspiciat; immo, qui hoc munus postulet omnino est avertendus.

## **7.- De incremento oeconomico et paupertate.**

Regimine Militari exeunte, pauperes ex totis incolis erant ad 38 centessimae partes (38%); post viginti annos ubi democratæ et

---

<sup>23</sup> Ley 19992 de 24-DIC-2004.

sinistrani democratice gubernarunt, pauperes non erant nisi octo centesimae (8%)<sup>24</sup>; post Patricium Aylwin Chiliam gubernarunt Edoardus Frei Ruiz-Tagle (1994-2000), democrata christianus, et Richardus Lagos (2000-2006), socialista, et Michaela Bachelet (2006-2010) etiam socialista; politici vero democratici et sinistrani Consociationem Factionum pro Democratia anno 1988 creaverant ut Gubernio Militari et ipsi Pinochet adversarentur; anno autem 2006, quo Augustus Pinochet moritur, hic commentarius finem suum habebit; multa tamen in rebus narrandis desunt, et quia non hic est satis locus, et quia in commentariis ea omittuntur, quae ex scriptoris opinione ad rerum meditullium non pertinent; attamen id unum addere oportet: paupertatem egestatemque<sup>25</sup> sine incremento oeconomico sempiternas esse futuras; haec fuit schola liberalium oeconomistarum, qui Regimini Militari operam dederunt atque incrementi oeconomici fundamenta in universitatibus discipulos et cives plerosque docuerunt; exinde oriuntur inceptores, effectores, mercatoresque, qui in actuositatem oeconomicam incumbunt et laborandi locos multos pro multis creavere; sinistrani tamen extremi a Consociatione Factionum pro Democratia aperte silenterve discrepant, atque acriter vituperant politicos et sodales, qui oeconomistarum liberalium doctrinas vel partim sumpserint.

**8.- Pinochet Londinii arreptus.** Augustus Pinochet, mense Septembri anni 1998, in Anglicum nosocomium cum nepote suo iter fecit, ut ab hernia lumbari chirurgiā se liberaret; mense eiusdem anni Octobri, iudex Hispanus Balthasar Garzón praeventive custodiri eum apud Anglos iussit, ut postea ad iudicium in Hispania vocaretur, nam occultus auctor criminum putabatur sc. genocidii et terrorismi internationalis et cruciatuum et delictorum in personas, quae cum essent arreptae, postea nusquam compertae essent; haec inter

---

<sup>24</sup> Larrañaga y Rodríguez, 2014 (PNUD); horum numeros non examussim sumpsi (2.- Ephemerides et symbolae). Democratia anno 1988 creaverant ut Gubernio Militari et ipsi Pinochet adversarentur; anno autem 2006, quo Augustus Pinochet moritur, hic commentarius finem suum habebit; multa tamen in rebus narrandis desunt, et quia non hic est satis locus, et quia in commentariis ea omittuntur, quae ex scriptoris opinione ad rerum meditullium non pertinent; attamen id unum addere oportet: paupertatem egestatemque<sup>25</sup> sine incremento oeconomico sempiternas esse futuras; haec fuit schola liberalium oeconomistarum, qui pro Regimini Militari operam dederunt atque incrementi oeconomici fundamenta in universitatibus discipulos et cives plerosque docuerunt; exinde oriuntur inceptores, effectores, mercatoresque, qui in actuositatem oeconomicam incumbunt et laborandi locos multos pro multis creavere; sinistrani tamen extremi a Consociatione Factionum pro Democratia aperte silenterve discrepant, atque acriter vituperant politicos et sodales, qui oeconomistarum liberalium doctrinas vel partim sumpserint.

<sup>25</sup> Egeni sunt ii, quibus necessaria desunt vel tectus et cibus; pauperes autem habent necessaria ad vitam sed nihil eisdem relinquit ad commoditatem vel decus.

dominatum militarem acciderunt; diebusque sequentibus, plures accusationes in Pinochet a mortuorum sive victimarum propinquis additae sunt, in quibus numeratur Elisabetha<sup>26</sup> Allende, Salvatoris Allende filia; eo autem tempore Pinochet erat et senator vitalicius et ad Constitutionem Politicam expaes\*, qui tali dignitate fruebatur et idcirco ad diplomaticam gentium consuetudinem extra Chiliam erat immunis (H. Pérez de Arce, pág.4); itaque actuosa lis in Anglia et apud Chilenses orta est, multis Nationibus vigilantibus; Praeses Edoardus Frei postulavit, ut Expaes non foris sed apud iudices Chilenses iudicaretur; tandem mense Martio anni bis millesimi, Jacobus Straw, Minister Angliae Primarius, liberavit Pinochet, qui in Chiliam revertit; lites domi perrexerunt usque tandem ob infirmam rei valetudinem lites ab iudice desertae sunt.

**9.- Augustus Pinochet moritur.** Pinochet - postquam septem dies in Nosocomio Militari ob morbum cardiacum inclusus est eiusque sectatores totum id tempus extra nosocomium degerunt et pro eo precati sunt - diem suum obiit, qui dies fuit decimus mensis Septembris anni bis millesimi sexti; Pinochet mortuo, feretrum in Scholam Militarem delatum est, ibique multi mortem luxerunt et iuxta feretrum venerantes incesserunt ad civum 60 milia (PR 15); interea sinistrani per viam hilares saltabant.

---

<sup>26</sup> Nomen eius Hisp. Isabel.

## V.- LIBRI ADHIBITI ET EPHEMERIDES ET PAGINAE RETIALES

### 1.- Libri

- A. Blánquez: Diccionario ESPAÑOL-LATINO, Editorial Ramón Sopena, S.A, Barcelona, 1966.
- A. Blánquez: Diccionario LATINO-ESPAÑOL, (2 tomos) quinta edición, Editorial Ramón Sopena, S.A, Barcelona, 1960.
- A. Fontaine Aldunate: *Los Economistas y el Presidente Pinochet*, Editorial Zig-Zag, S.A. 1<sup>a</sup>. edición, junio de 1988.
- A. Pinochet U., *EL DÍA DECISIVO, 11 DE SEPTIEMBRE DE 1973*, segunda edición, Editorial Andrés Bello, Santiago, 1980.
- C. F. Cáceres et P. Ibáñez O.: Opinio minorititia de consultatione ad Consilium Statalem quam Praeses Pinochet fecerat de nova Constitutione Politica [Textos Comparados de las Constituciones Políticas de 1980 (sometida a plebiscito) y de 1925, Instituto de Estudios Generales, Santiago de Chile, agosto de 1980 (Hisp.)].
- CEP (Centro de Estudios Públicos): *Los Mil Días de Allende*, Volumina 1 et 2, (Hisp.); editores A. Fontaine y M. González, parabilia unice per interrete <https://www.cepchile.cl/cep/libros/libros-digitales/los-mil-dias-de-allende>
- Documento de “El Mercurio”: *BREVE HISTORIA DE LA UNIDAD POPULAR*, editado por El Mercurio SAP, impreso por Editorial Lord Cochrane S.A., Santiago, 1974.
- Editorial Jurídica de Chile (presentación de Armando Álvarez González): *ANTECEDENTES HISTÓRICO-JURÍDICOS: AÑOS 1972-1973*, Santiago, febrero de 1980; parabilis apud <http://bibliotecadigital.dipres.gob.cl/bitstream/handle/11626/16489/Antecedentes%20Historicos%20Juridicos.pdf?sequence=1&isAllowed=y>
- F. Deraedt et G. Licoppe auctoribus: *CALEPINUS NOVUS, Vocabularium linguae Latinae hodiernae Latino – Francogallicum*, Fundatio Mellissa, Musée de la Maison d’Erasme, 2202.
- F. Deraedt et G. Licoppe: *CALEPINUS NOVUS, Vocabulaire latin d’aujourd’hui Français-Latin*, Fundatio Mellissa, Musée de la Maison d’Erasme, 2202. F. Varas: *Gustvo Leigh, EL GENERAL DISIDENTE*, Ediciones Aconcagua, Santiago de Chile, 1979.

H. Büchi, *La Transformación Económica de Chile; del Estatismo a la Libertad Económica*, Grupo Editorial Norma, Santa Fe de Bogotá, Colombia, primera edición, octubre de 1993.

H. Pérez de Arce, *Europa vs. Pinochet; INDEBIDO PROCESO*, Editorial El Roble Ltda., 1<sup>a</sup> Edición, Santiago, 1998.

J. C. Jobet: *Vigésimo Segundo Congreso General Ordinario del Partido Socialista de Chile, Chillán, 24, 25 y 26 de noviembre de 1967*; Centro de Estudios Miguel Enríquez (CEME), Archivo Chile, Historia Político Social, Movimiento popular; parabilis quoque apud [http://www.archivochile.cl/Izquierda\\_chilena/ps/del/ICHdelps0016.pdf](http://www.archivochile.cl/Izquierda_chilena/ps/del/ICHdelps0016.pdf)

J.J. Del Col: *DICCIONARIO AUXILIAR ESPAÑOL-LATINO, para el uso moderno del latín*, Instituto Superior Juan XXIII, Bahía Blanca, Argentina, 2007).

N. Gross, INDEX VERBORUM RARIORUM RECENTIORUMQUE, apud opusculum quod inscribitur *Baronis Mynchusani Mirabilia Itinera et Pericula Marina Terrestriaque* (pag.48-65), Bruxellis Belgarum, in Aedibus fundationis, quae appellatur MELISSA, anno 2001.

P. Arancibia C.: *Carlos F. Cáceres, la transición a la democracia, 1988-1990*, ediciones LYD, Santiago de Chile, 2014.

## **2.- Ephemerides et symbolae**

C. Almeyda: *La OLAS y la crisis política en América Latina*, en Revista de Estudios Internacionales (p. 427-442), Universidad de Chile, Vol. 1 Núm. 3-4 (1967), octubre 1967 - marzo 1968; parabilis quoque apud <https://revistaei.uchile.cl/index.php/REI/article/view/19241>

C. Pérez: *Guerrilla Rural en Chile: la Batalla del Fundo San Miguel (1968)*, en Revista Estudios Públicos del Centro de Estudios Públicos, N°78, OTOÑO, año 2000, Santiago, Chile, pág.181 – 208.

E. Frei: Carta a Mariano Rumor, en Centro de Estudios Bicentenario; parabilis apud [http://www.bicentenariochile.cl/index.php?ption=com\\_content&view=article&id=18:carta-de-eduardo-frei-montalva-a-mariano-rumor&catid=12:gobierno-de-allende-y-el-quiebre-institucional&Itemid=9](http://www.bicentenariochile.cl/index.php?ption=com_content&view=article&id=18:carta-de-eduardo-frei-montalva-a-mariano-rumor&catid=12:gobierno-de-allende-y-el-quiebre-institucional&Itemid=9)

O. Godoy, Director del Instituto de Ciencia Política de la Universidad Católica, columna en diario La Época, 4 sept. 1995 (sumpta e J. Piñera (PR 1).

O. Larrañaga y M. E. Rodríguez: Desigualdad de Ingresos y Pobreza en Chile 1990 a 2013; pdf: undp\_cl\_pobreza\_cap\_7\_desigu-y-pob\_editada (2) (PNUD, 2014).

R. Rivera: "Acta Rivera" est manuscriptum (Hisp.) ab advocate Raphaele Rivera redactum iussu Consociationis Industriis Fovendis (editado en Economía y Sociedad, N°92, agosto- octubre, 2017); parabilis apud <https://www.economiaysociedad.cl/acta-rivera> (v.p. 8-08-2021).

### **3.- Paginae Retiales**

#### **PR 1**

J. Piñera: *Cómo Allende destruyó la democracia en Chile*, en <https://www.elcato.org/c-mo-allende-destruy-la-democracia-en-chile>(visum postremum die 29-04-2021).

#### **PR 2**

[https://es.wikipedia.org/wiki/Masacre\\_de\\_Puerto\\_Montt](https://es.wikipedia.org/wiki/Masacre_de_Puerto_Montt) (v.p. 14-8-2021).

#### **PR 3**

[https://es.wikipedia.org/wiki/Intervenci%C3%B3n\\_estadounidense\\_en\\_Chile](https://es.wikipedia.org/wiki/Intervenci%C3%B3n_estadounidense_en_Chile) (v.p. 14-8-2021).

#### **PR 4**

[https://es.wikipedia.org/wiki/Elecci%C3%B3n\\_presidencial\\_de\\_Chile\\_de\\_1970](https://es.wikipedia.org/wiki/Elecci%C3%B3n_presidencial_de_Chile_de_1970) (v.p. 14-8-2021)

#### **PR 5**

[https://es.wikipedia.org/wiki/Juntas\\_de\\_Abstecimiento\\_y\\_Control\\_de\\_Precios#:~:text=Las%20Juntas%20de%20Abastecimiento%20y,del%20gobierno%20de%20Salvador%20Allende](https://es.wikipedia.org/wiki/Juntas_de_Abastecimiento_y_Control_de_Precios#:~:text=Las%20Juntas%20de%20Abastecimiento%20y,del%20gobierno%20de%20Salvador%20Allende) (v.p.4-08-2021).

#### **PR 6**

[https://www.cepchile.cl/cep/site/docs/20160304/20160304094746/tomo2\\_mil\\_dias\\_de\\_allende.pdf](https://www.cepchile.cl/cep/site/docs/20160304/20160304094746/tomo2_mil_dias_de_allende.pdf) (v.p. 11-8-2021)

#### **PR 7**

[https://es.wikipedia.org/wiki/Elecciones\\_parlamentarias\\_de\\_Chile\\_de\\_1973](https://es.wikipedia.org/wiki/Elecciones_parlamentarias_de_Chile_de_1973) (v.p.11-8-2021).

#### **PR 8**

<https://www.elpaisonline.cl/biblioteca-new/documentos/741-fraude-electoral-de-la-unidad-popular> (v.p.11-8-2021).

#### **PR 9**

<https://es.wikipedia.org/wiki/Tanquetazo> (v.p.11-05-2021).

**PR 10**

[https://es.wikipedia.org/wiki/Gustavo\\_Leigh](https://es.wikipedia.org/wiki/Gustavo_Leigh) (v.p.9-6-2021).

**PR 11**

[https://es.wikipedia.org/wiki/Instituto\\_del\\_Hemisferio\\_Occidental\\_para\\_la\\_Cooperaci%C3%B3n\\_en\\_Seguridad](https://es.wikipedia.org/wiki/Instituto_del_Hemisferio_Occidental_para_la_Cooperaci%C3%B3n_en_Seguridad) (v.p.9-6-2021)

**PR 12**

<https://ellibero.cl/actualidad/falsos-exonerados-las-investigaciones-en-las-que-no-persevero-la-fiscal-ximena-chong/> (v.p.11-8-2021)

**PR 13**

[https://es.wikipedia.org/wiki/Comisi%C3%B3n\\_Nacional\\_de\\_Verdad\\_y\\_Reconciliaci%C3%B3n](https://es.wikipedia.org/wiki/Comisi%C3%B3n_Nacional_de_Verdad_y_Reconciliaci%C3%B3n) (11-8-2021)

**PR 14**

[https://es.wikipedia.org/wiki/Augusto\\_Pinochet#Fallecimiento](https://es.wikipedia.org/wiki/Augusto_Pinochet#Fallecimiento)  
(v.p.5-6-2021)

**PR 15**

[https://es.wikipedia.org/wiki/Augusto\\_Pinochet#Fallecimiento](https://es.wikipedia.org/wiki/Augusto_Pinochet#Fallecimiento)  
(v.p.11-8-2021)

## VI.- VOCABULA NEOLATINA VEL VETERA SENSU HODIERNO

**Admiralis** -is: praefectus classis (Deraedt et Licoppe; J.J. Del Col).

**Admiralius** -i: Admiralis.

**Aeroplanum** -i; Deraedt et Licoppe; J.J. Del Col, aerinavis.

**Antlia** -ae: antlia [quae] tollit aquas (Mart. X, xviii); alias liquores (vel petroleum) et potest tollere; Deraedt et Licoppe; J.J. Del Col addit antlo, -as, -avi, -atum -are.

**Bombardo** -as -avi -atum -are: pyrobolos iactare (J.J. Del Col); Du Cange, I, p.693, apud Deraedt et Licoppe.

**Carabinarius** -ii vel custodes publici, ita nominati quia carabinis utuntur, apud J.J. Del Col; synonyma: sclopetarius (N. Gross); carabinarius sive sclopeto armatus (A. Blánquez).

**Cataphractus** -i: Deraedt et Licoppe: catafractus -a -um; autocurrus loricatus (J.J. Del Col); subs. catafractus (-i).

**Classis media:** homines mediae fortunae (J.J. Del Col).

**Collineo** -eas -eavi- eatum -eare: arma in scopum dirigere (J.J. Del Col, N. Gross).

**Colonellus** -i: Deraedt et Licoppe; synonyma: chiliarchus, tribunus militum, legionis tribunus, J.J. Del Col.

**Cortina** (sive vellum); invenitur apud St. Ambrosium, in Ep. XX ad sororem Marcellinam (20, 22, 24).

**Displodo** -is -i (?) -ere: tela armis igniferis emittere (J.J. Del Col).

**Districtus** -us: territorii pars; apud Justiniani Novellas, teste Augustino Blánquez.

**Droga** -ae: sive drogia -ae J.J. Del Col; Deraedt et Licoppe: psychotropicum (-i).

**Emblematicus** -a -um, sensu figurato sive metaphorico, J.J. Del Col.

**Ergodotes**, ae masc. [έργοδότης]; genetivus pluralis -ārum (cfr <https://www.gottwein.de/Lawk/belege.php?verbum=arbeitgeber>); sive operarum conductor (Eichenseer, Latinitas Viva, Saarbrücken 1981, p.238, J.J. Del Col).

**Exraeses** -idis: Isid. Hisp. Etym. XV, 13,13: “exconsul quod a consulatu discesserit”; IX, 3,9: “exconsules autem dicti quod iam a consulatu exierint sive discesserint peracto vicis sua anno”; ergo et dici possit exraetor (-oris), exraeses (-idis).

**Exexecutivus** -a -um: potestas gubernativa distinguitur in legislativam, exexecutivam et iudiciale (Codex Juris Canonicis, Can. 135 § 1 et passim; etiam Can. 30: Qui potestate exexecutiva tantum gaudet...).

**Gasum lacrimogenum:** J.J. Del Col; etiam Daraedt-Licoppe: lacrimifer, a, um.

**Generalis:** Gradus militaris; Deraedt-Licoppe, (Du Cange, IV, p.53).

**Gubernativus** -a -um; sive gubernatorius, J.J. Del Col; ad gubernium pertinens.

**Interrogator** -oris; Ulpianus: Nihil interest, neget quis an taceat interrogatus an obscure respondeat, ut incertum dimittat interrogatorem (Dig. 11.1.11.7); hic usurpatur sensu hodierno.

**Minister pro Rebus Internis:** Minister Administrationis Internae (J.J. Del Col); minister sensu hodierno.

**Paramilitaris** -e: militiae similis (J.J. Del Col).

**Pistolium** -ii; N. Gross; J.J. Del Col: manubalistula.

**Polybolum** -i: mitrailleuse (Deraedt et Licoppe); ametralladora (J.J. Del Col); Maschinengewehr; machine gun.

**Praesuppositum** -i: praesumptio futuri accepti et expensi (J.J. Del Col).

**Productor** -oris: fabricator; qui conficit, J.J. Del Col.

**Regestum** -i: CJC, Can. 1133 Matrimonium secreto celebratum in peculiari tantummodo regesto, servando in secreto curiae archivo, adnotetur.

**Responsalis** -e: Deraedt et Licoppe, J.J. Del Col; qui noxius potest fieri vel necessario rem gerit.

**Ruchetobolum**, -i n. (cfr neogr. ρουκετοβόλο) lance-roquettes, Raketenwerfer, rocket launcher, lanciarazzi, raketcsvär, lanzacohetes; J.J. Del Col: tormentum vel machina radios pyrios emittens.

**Schedula identitatis:** tessera identitatis (J.J. Del Col); quae personarum nominis facit fidem.

**Sclopeto** -as -avi -atum -are: carabina sive sclopeto dislodere ; (Deraedt et Licoppe, J.J. Del Col); vide carabinarius.

**Semaphorum** -i: Deraedt et Licoppe; J.J. Del Col: semiophorum viarium; lychnus qui apertam aut clausam viam indicat.

**Servitium** -ii, sensu hodierno; synonyma: ministerium, officium, J.J. Del Col.

**Syngraphus** -i: licentia libere transeundi (J.J. Del Col, A. Blánquez); Pl. Capt. 384.

**Telephono** -as, -avi, -atum, -are: Deraedt et Licoppe, J.J. Del Col.

**Telonarius** -a -um: Telonialis (Deraedt et Licoppe).

**Telonialis** -e: (Deraedt et Licoppe); quae pertinent ad vigilantiam mercium, quae exportantur vel importantur, et ad eorum vectigalia recipienda. J.J. Del Col.

**Telum** -i: (sensu hodierno) omnis glans plumbea vel ferrea, quae armis igniferis emittitur; Deraedt et Licoppe, N. Grosss (sub verbo collineandi).

**Victima** -ae: (sensu hodierno); qui damnum ab alio vel fortuito patitur (A. Bánquez).

# **ECHUS VOCES ET EPISTULAE**

## **RADULFUS LAVALLE ARGENTINUS**

30.01.2022 h.12.10 h

Carissime Leo Latine, semper tuam scientiam actuositatemque laudo. Unum a te peto: mitte, precor, ad Maurum Pisini latinistam libellum quem adiungo. Est ibi versio mea cantiunculae RED FLOWERS, quam Calculi Rotundi cecinerunt. Gratias denuo tibi, qui ex cavernae obscuritate hoc numero nos liberas. Tuus Radulfus.

### **Carissime Leo Latine**

Gratias ob imagines motas. Egomet tres iam dosis accepi sed voluntarie; nullo modo coactionem sanitatis, ut ita dicam, laudo. Valeas semper, Radulfus

## **VICTORIUS CIARROCCHI PISAURENSIS**

08.m.Ian. a.2022 .23.44

### **Nicolaus Victorio sal.pl.**

Summas gratias, Victori carissime! Gaudeo te iam accurate perlegisse Epistulam Leoninam novissimam. Rogo, ni quid obstat, ut omnes stribiliges quas inveneris, occasiunculam nactus mihi indices. Quomodo nunc te habes? Utinam novus annus bonis omnibus incohaveris. Docta studia tua humaniora animum tuum e dolorosis muginandi paludibus abducant ad aquas Nympharum limpidissimas, Musarum montem et viridaria amoenissima. Sequere Thomam a Kempis, qui dicit: "In omnibus requiem quaesivi et nusquam inveni nisi in angulo cum libro". Una exspectemus, bone Victori, quid novus annus nobis allaturus sit: gustemus eiusdem cornu copiae et satira lance. dulcibus gaudenter fruamur, amara perforamus patienter. Fortes Fortuna adiuvat. Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.

09.m.Ian. a.2022 h.08.39 h

### **Victorius Nicolao sal. plur. Dicit.**

- 1) Et ego in annum novum tibi omnia fausta, serena, prospera ex animo ominor.
- 2) Peccatillum typographicum forsitan est in ultima linea paginae 21, ubi «omnibus» legitur.
- 3) Pro dolor, mi Nicolae, non bene me habeo: e diagnosi histologica, quae facta est postquam die 4 Nov. sectionem chirurgicam vesicalem sum passus, multae cellulae malignae inventae sunt testantes "tumorem altioris gradus". Quam primum igitur ut alteri sectioni subeam erit necesse. Quo igitur sim animo, facile intellegis. Hac de improspera valetudine mea tantummodo Gaium nostrum certiore feci. Alios sodales certiores facere nolim. Optime valeas.

d.05. m.Febr. a.2022 h. 00.26

### **PAX & LIBERTAS - Salve Victori! Quid agis?**

[https://www.youtube.com/watch?v=\\_FgSn288OVo](https://www.youtube.com/watch?v=_FgSn288OVo)  
<https://www.youtube.com/watch?v=6-A0jPxcTYE>

05.m.Febr.a.2022 h.00.26

### **Victorius Nicolao salutem.**

Gratias pro imaginibus, care Nicolae. Publicis autem concursibus non delector. Anxie vivo exspectans nuntium, quo certior fiam de die praestituto ut alteram sectionem chirurgicam subeam. Opto bene valeas.

### **MAURUS PISINI**

#### **Maurus Nicolao s.**

Heri, omnia Epistulae nuper editae argumenta et legi cum delectatione et plurimi aestimavi, mea quoque, non minus laetus, iterum rimatus. Feliciter fruitus sum et translatione illius cantionis Rollingstoniana, cuius auctori valde plando. Valeas ergo pancratice meque meaque, cum tibi misero, diligere pergas!

### **ANSGARIUS WIDHOLM OSLOENSIS**

D.05.m.Febr. a.2022 h.13:04

#### **Salve Nicolae!**

Meo suco victitans, tempora subsciva lectiunculis contero. Si quando (re vera, fere cottidie) in grapheo versor, ne musca quidem conspicitur. Nam homunculi, nescio utrum ob pigritiam an timore virus laborantes, adhuc domo segniter ac contumaciter se continent. Ultimis autem epistulis leoninis perfectis, iam cognitum habeo te scribere testimonium vel glossarium, quo vocabula orbis picti hexglotti commentariis illustrentur, fusius explanentur, exemplis probentur. Magnum opus et arduum! Sed dic, quaeso, quando tomum primum, id est orbem sensualium pictum reducem, in lucem edituri estis? Nam quamquam musae tenuis cultor, qui non nisi humile sermonis genus, linguae haesitante, in scriptis meis adhibeo, non dubito quin orbis pictus latinus, homunculis de nugis, vel de rebus caducibus conscribillantibus, perutilis futurus sit. Postmeridie colloquium Circuli latini Barcinonensis, ratione zoomica, participabo. Nam otium, ut aiunt, sine litteris, plane turpe est. Fac valeas! Ansgarius.

#### **Nicolaus Ansgario s.**

Sunt qui pigritiam suam excusent pandemiâ putativâ; sunt qui timore panico vîri coronarii correpti etiam post biennium istius fraudis universalis evitent omnes hominum congregations neque sedeant solitarii in autocinetis neque in sellis familiaricis nisi mascis instructi. Miseret me istorum homunculorum! Sed hypochondria hysterica cum sit iam morbus nostrae aetatis generalis, tum nuntiis globalistarum cottidianis timor panicus consulto et datâ operâ efficitur et augetur. Paulatim et gradatim etiam oves somniculosissimae comprehendunt vaccina putativa esse periculosiora quam vîrus ipsum. Iamne accepisti, quid *Craig Paardekooper* invenisset in numeris ipsius VAERS, Americani repositorii datorum, quo indicantur casûs detrimentorum vaccinis effectorum? Ipsa realitas interdum est horribilior quam

phantasia poetarum. - Furore coronae - Deo gratias! - paulatim decrescente denuo turgescit furor climaticus. En nihil nisi alterum instrumentum libertatis civium deminuendae aut definitivē extinguae. Leviathan nos vult sinificare (i.e. ad Sinensium modum vivendi coacticum redigere), europaeum cultum civilem atque individualismum extirpare. Propter Prasinorum caecitatem maximē timendus est defectus electricitatis totalis; qui si factus erit, rapidē reiiciemur in aetatem neolithicam; crudeliter luctandum erit de vitae essentialibus, nil boni exspectandum erit nisi unum: nemo iam eliget factionem Prasinorum exsecrabilem. --- Quaeris, quandonam in lucem êdatur primus tomus Orbis Picti Hexaglotti? Certē oportebit utrumque tomum simul divulgare; nam quadraginta milia nominum, quorum permulta sunt recentiora vel recentissima, ab hominibus Latinitatis vivaे peritissimis (in quorum numerum tu procul dubio referendus es!) minimē comprobabuntur nisi addita erunt testimonia et explicationes alterius tomī. Bene spero me posse etiam alterum tomum hōc anno perficere. Ut fieri possit divulgatio operis sumptuosa, spero inventum iri Maecenates. Si glossas meas attentē perlegeris meque adnotationibus criticis adiuveris, scias fore, ut *sublimi feriam sidera vertice* (ut ait Horatius). In praesenti scribo de *Adansoniā digitatā* arbore Africae maximē mirificā. Modo scripsi de *adaptaculis spinae electricae*. Nam delector variatione. -- Quae res tractantur colloquiis *Circuli Latini Barcinonensis*? Narres mihi, quaeso, care Ansgari, si quam occasiunculam nactus eris. Pancratice vale et perge mihi favere. Medullitus te salutat Nicolaus.

D.06.m.Febr.a.2022 h.15:04 scripsit

### **Salutem Nicolao Ansgarius.**

Quod cultus civilis Europaeus ad peius magis magisque inclinat, etsi mihi minime gratum, non moleste fero. Nam cognitum habeo, si quis libertatem singulis diebus acriter, et proelio dimicans, non acquirat, haud dignum futurum esse, ut vita fruatur. Multi autem Europaei magno in errore versantur, quippe qui sibi persuaserint, cultum civilem non nisi rebus oeconomicis et disciplinis mechanicis augeri ac crescere. Europaeos, igitur, aut tandem e somno excitari, aut ire, ubi cervi abificant cornua, necesse est. Non nego circumiacentia naturae curanda maximi momenti esse. Sed ut recte mones, prasini non nisi furem climaticum concitant. Veri simile est potentiores timorem climaticum homunculis incutere, quo facilius animum eorum regant. Hoc enim paeceptum notissimum est artium nefandarum. Si vis homines moderari, fac ut timeant. Glossas tuas lecturus sum, magna cum animi attentione, sed vereor ne nihil ad rem conferre possim. Quod ad Circulum latinum Barcinonensem attinet, heri non colloquium fuit, sed moderator, et doctus et urbanus, scholam de quadam epistula Plinii eleganter recitavit. Ultimis duobus annis, non gravate, et magno cum fructu, multis scholis, ratione zoomica vel googleana habitis, interfui. Attamen, scholam recitando, interdum magis quam auditores, magister discere videtur. Re vera, si domi tuae scholas, voce clara recitas, auditoribus, mente fictis, quidquid tibi in buccam venerit, scrutantibus, nonnihil etiam discis. Ceterum, nonne magistrum discipuli, non aliter quam patrem filii, quam scriptorem lectores, quam

deos homunculi, ut tandem liberi atque ingenui, nullius dominationi parentes, vitam agant, interficiant oportet? - Hodie, die dominica, musaeum Edvardi Munch, nuper inauguratum, visitavi. Maximis in deliciis hunc pictorem, in melacholiam proniorem, utpote qui colores nimis saturatos adhibuerit, non habeo. Haec breviter et congeste, fac valeas! Ansgarius

### **Nicolaus Ansgario s.**

Cum epistolium tuum mihi perlaceat, care sodalis, statim publicabo. Nam his horis finem impono Epistulae Leoninae CCLII, quam hōc vespero in lucem ēdere me posse bene spero. Quod dicis libertatem cottidie acriter esse proelio acquirendam, Goethe similiter Faustum inducit dicentem in dramate suo celeberrimo, ubi comparat libertatis acquisitionem cum aggeribus marinis struendis, qui non servantur nisi curā continuā. Iohannes Wolfgangus nobis affirmat libertatem cottidie denuo esse expugnandam. Sanē vigilia est pretium libertatis. Verum enim vero, Europaei videntur pigritia stultitiaque suae causā in tyrannidem delabi. Dicuntur etiam in proverbio vituli omnium stultissimi eligere lanum suum ipsissimi. Quod narras de Circulo Barcinonensi, certē verum est docendo discere. Hoc optimē experitur omnis magister. - Edvardus Munch nonne pinxit "CLAMOREM"? Quae pictura illustris est. Vale pancreaticē, mi care Ansgari. Iucundum est tecum confabulari. Medullitus te salutat Nicolaus.

### **MARCUS CRISTINI**

D.06. m.Febr. a.2022 h.19:22

### **Marcus Nicolao optimo s.p.d.**

gratias tibi ago pro epistolio mihi misso. Fortuna favente bene valeo et adhuc in partibus Tubingensibus versor. In librum de rege Gothorum Totila seu Baduila scribendum plerumque incumbo, hodie autem Sumelocennam (vulgo *Rottenburg*) magna cum laetitia lustravi, ubi inscriptiones Latinas nonnullas aevo Romano exaratas in viridario ante museum vidi una cum reliquiis aquae ductus. De Agris Decumatibus saepe legeram, nunc gaudeo, quod vestigia nonnulla Romana in ipsis finibus inter Rhenum et Danubium inspicere possum. Tibi gratulor pro glossis Orbis Pictis, quae re vera parva sunt encyclopaedia. Cum peritissimus etymologiarum sis, potesne - quaeso - mihi arcanum de toponymis Badenianis aperire? Animadvertis nomina civitatum multarum litteris -ingen (e.g. Tübingen, Reutlingen, Metzingen etc.) finem habere. Scisne, unde vocula haec venerit? Gratias tibi in antecessum ago! Cura, ut optime valeas.

d.06. m.Febr. a.2022 h.21:08

### **Nicolaus Marco toponymiae Badenianae perscrutatori sal.pl.dic.**

Summas gratias pro nuntiis tuis. Spero locos testes infra allatos tibi gaudio et usui fore. Utinam Tubingae iucunde vivas. Haec raptim, mox accipias EL 252, ubi inerunt multae glossae. Scribe mihi quidquid tibi in buccam venerit. Vale semper, Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus

[https://www.leo-bw.de/media/kgl\\_atlas/current/delivered/pdf/HABW\\_4\\_1\\_2.pdf](https://www.leo-bw.de/media/kgl_atlas/current/delivered/pdf/HABW_4_1_2.pdf)

**1 HISTORISCHER ATLAS 4, I–2 VON BADEN-WÜRTTEMBERG Erläuterungen**

Beiwort zu den Karten 4, 1–2 Der alemannische und fränkische Siedlungsraum:

1. **Ortsnamen auf -ingen**, -heim und -dorf

2. Ortsnamen auf -hausen, -hofen, -stetten, -statt und -weiler

<https://www.aargauerzeitung.ch/aargau/freiamt/fast-alle-freiamter-ortsnamen-sind-alemannisch-was-es-mit-ikon-und-wil-auf-sich-hat-Id.1526719>

-ingen Die ahd. **Ortsnamenendung -ingen** bezeichnet eine Zugehörigkeit zum vorhergehenden Wortteil, der in der Regel ein Personenname ist. Die Endung trägt damit die **Bedeutung «Kind(er), Nachkommen, Leute, Sippe [desjenigen, dessen Name im Vorderglied genannt wird]».**

<https://cms.uni-konstanz.de/fileadmin/archive/syntax-alemannisch/projekt/alemannisch/>

**Marcus Nicolao s.p.d.**

Gratias tibi maximas ago pro locis allatis! Pancratice vale.

## CORRIGENDA ET SUPPLENDIA

EL 251, p.5, lin.7: *timeat* (non: *tineat*)

EL 251, p.5, inciso 2, lin.10: (umbrae) **quae** nobis videntur esse reales (non: **quas**)

ibid. lin.16: a **conspectatoribus** nostris: Verbum \*conspectatoris ultro confinxi, sed interim invêni duos locos testes: cfr Leon Battista Alberti, Opere volgari di Leon Battista Alberti...annotate e illusurate dal Dott. Anicio Bonucci, Firenze 1843, p.CLII: „Mny. Ut audistis tantos tumultus, ut non illico opem adtulisti ut histic adstitisti **conspectatores?**“ ---- cfr Alessandro Della Torre, De fulgenti radio hierarchiae ecclesiae...Romae 1588, p.224: „....& ipso in occulto latente diligenter aure apposita explorabat quidquid de proportione, ac arte adiudicarent **conspectatores.**“

EL 251, p.7, inciso 2, lin.6: ΤΟΛΜΗΣΟΝ ΦΡΟΝΕΙΝ (non: ΘΟΛΜΗΣΟΝ)

EL 251, p.8: diem – proh dolor! - falso indicavi: 29. m.Jan. a.2022 (non: 29. m.Dec. a.2021)

EL 251, p.9, lin.3: volvitur (non: voviturn)

EL 251, p.18, lin.1-3: Manifestum est...austriacam gubernationem foederalem et diurnarios generales ...Israeliam commemoravisse tamquam exemplarem. (non: austriaca gubernatio foederalis et diurnarii...commemorabant..)

## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdē augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuē disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non éditur in domunculā Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretiale (i.e. anglicē »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimē eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et caraē. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; caraē sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumerās, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EIΣ AEI.*

XXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXX

## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. manda- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAЕ	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAЕ	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIMUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90

27	<b>0050 6A</b>	978-3- 938905- 26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – <b>Libri audibles</b>	L.A. Seneca	----- ----- --	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	<b>00107 A</b>	978-3- 938905-27- 2	<b>ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS</b>	Apuleius	----- ----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	<b>0020 7A</b>	978-3- 938905-28- 9	<b>OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA</b>	Livius	----- ----- --	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	<b>00307</b>	978-3- 938905-29- 6	<b>FABELLAE GRIMMIANAE II</b>	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,**

**USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**



**HANC EPISTULAM LEONINAM  
DUCENTESIMAM QUINQUAGESIMAM SECUNDAM  
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**

**Die Mercurii  
09. m. Febr. a. 2022**



**Dr. Nicolaus Groß  
LEO LATINUS  
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**